BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
35
3 I
7

35.3.I.7
7

SUPPLICATIO

ALTERA

SUPPLICATIONIS

PRIORIS

APOLOGETICA

AD

ILLUSTRISSIMOS AC REVERENDISSIMOS

BELGII EPISCOPOS,

ADVERSUS

VARIA SCRIPTA, SUB HIS TITULIS:

DEFENSIO FORMULÆ.

INSTITUTIO THEOLOGICA POLEMICA &c.

NICOSTRATI AC PHILADELPHI CONTENTIONES.

Ad Innocentium Duodecimum Pontificem Maximum
DISQUISITIO HISTORICO-THEOLOGICA.

ALIAQUE HUJUSMODI.

M. DC. LXXXXII.

ILLUS.MI AC REVEREND.MI PRÆSULES

BEnignitas illa paſtoralis, quâ ſupplices nuper accepiſtis, iterum nos invitat, ut ceptam ſemel apud vos cauſam non deſeramus; ſed eâ fiduciâ, quâ primum ſupplicavimus, alterâ etiam vice ſupplicemus. Supplices faciunt, qui non tam *Supplicationem* rationibus & argumentis refellunt; quam Supplicantes calumniis & dicteriis proſcindunt.

Specimina aliquot prooemii loco proferre liceat pace veſtrâ, *Viri Illuſtriſſimi*; ut genio illorum hominum penitus perſpecto, cautius rationes, ſi quas adverſus *Supplicationem* afferunt, audiatis; diſpiciatiſque propiùs, num inter calumnias & convicia Veritati & Rationi locus ſit, ubi charitati & juſtitiæ non eſſe conſtiterit.

Primus eſt *Defenſor formulæ*, qui in ipſâ *Defenſionis* ſuæ fronte *Supplicationem*, HÆRETICAM, SCHISMATICAM, ET JAM PRIDEM ANATHEMATE DAMNATAM proclamat. Mox in prooemio ſupplicantes aggreſſus, vocat eos MANIFESTOS HÆRESUM PATRONOS, ET DE HÆRESI NON TEMERE SUSPECTOS. Capite 2. *Doctorem van Eſpen Gummarianæ factionis Aſſeclam & fidei multis ſuſpectæ hominem appellat*. Capite 3. *Cum* MALEVOLIS, inquit, *& cavillatoribus nobis res eſt*. Capite 4. *Manifeſtum eſt*, ait, *hunc eſſe* SUPPLICATIONIS *illius ſcopum, ut ... vel nos à fide abſtrahat, vel inconſutilem Chriſti tunicam, ſi fieri poſſit, deſcindat, ſuas paulatim partes ... ſecta illa confirmet, donec aliquando freta multitudine Chriſtianis Principibus terrori ſit, & Eccleſiam Romanam vel ad connivendum metu gravioris mali adigere poſſit, vel palam retectâ fronte impetere*. Capite 5. *Janſeniſtas, atque omnia ipſorum ſcripta, paſſim fraudibus & apertiſſimis* men-

mendaciis ſcatere affirmat.... *Non minùs mendacem Janſeniſtarum linguam & Stylum, quam ſpiritum vafrum & fraudulentum &c.*

Alter modeſtior eſt,& *Inſtituendo* magis, quam conviciando,rem agit:undè & INSTITUTIONEM libellum ſuum inſcribit.

Tertius, qui ſe VICTOREM CANCELLATI appellat, *victis* quaſi & perruptis omnis modeſtiæ Chriſtianæ *Cancellis*, in aperta dicteria prorumpit, & contumelioſis NICOSTRATUM inter & PHILADELPHUM *Contentionibus vincere conatur. Veſtri,* inquit, *Scriptores alii, Lovanienſes præſertim, valdè imperitè ſcribunt ac barbarè, adeò ut non minus ſtylo & oratione monſtroſi ſint, quàm moribus & impietate dogmatum .... Pater Magiſter, aliàs D. Martinus de Swaen vix dignus eſt qui* SCRIBILLATOR *appelletur.* pag. 7. His miſcet fabulam ad invidiam compoſitam: *In Collegio Pontificio celebratas eſſe jam pridem formulæ inferias, conſentiente & plaudente Eximio D. Gummaro:* Rogatque, *An non factum ſit etiam ipſo praeunte? An funebri illi compotationi non interfuerit Pater Abraham, aliàs Eximius D. van Viane? An non etiam Clariſſimus D. van Eſpen, ut turba reliqua tantis accenderetur exemplis?* pag. 7. & 8.

Temerarium, & rerum, quæ geruntur, ignarum ſe probat, cum negat Content. 2. pag. 12. *Eximium Hugenium Romam umquam vidiſſe:*

Calumniam impingit Eruditiſſimo Opſtratio, cum ibid. pag. 16. dicit, ab ipſo *Paulum Irenæum, & hujuſmodi libros præ D. Thoma commendari Chriſtiano Theologo.*

Content. 3. pag. 23. Dicit rem novam non eſſe *Janſeniſtam mentiri.* Revolvi animo jubet parœmiam Gallicam, *Il ment comme un Janſeniſte. Supplicantes* appellat *homines neſcio quos, ex fraude & mendacio conſutos.* Ibidem pag. 24. *Quibus ubique mentiri ſolemne ſit... Qui ſplendidè & improbè mentiantur. Qui frontem habeant meretriciam, neſciam erubeſcere.*

Pudet referre convicia omnia,quæ ipſum inferre non puduit Viris quibuſdam Eximiis & integerrimis,qui malunt pro Calumniante orare, quam convicia conviciis rependere.

Iſtud non ferendum, quod de Viris Catholicis inſolentiſ-

ſimè effutit Content. 6. pag. 40. *Etſi*, inquit, *illis Canonibus* (Epheſinis) *Virginem* Θεοτόκον *ſeu Dei Genetricem eſſe definiatur; non id tamen videntur credere firmiter.* Et impoſturam impoſturâ confirmans: *Non temerè*, inquit, *iſta ſuſpicor: quare non deſinam, niſi ſcripto publico oſtendant, cur abhinc annis aliquot partem ſalutationis angelicæ ultimam, quæ propter hos Canones à Cæleſtino Papa addita eſt, tam nefarium in modum induxerint.*

Decretum erat nobis, calumnias non refutare (nam retuliſſe, refutaſſe eſt) ſed hîc ſilere non licet.

Calumnia eſt atrociſſima, *videri nos non credere firmiter, Virginem eſſe* Θεοτόκον *ſeu Dei Genitricem.*

Atrocior eſt: *Abhinc annis aliquot partem Salutationis Angelicæ ultimam à nobis* (vel ab ullo, quod nobis ſcire licuerit) *inductam* ſeu deletam fuiſſe.

Hoc ſcimus, à Typographo, qui accuſabatur, prolata fuiſſe *Abecedaria*, tum vetera tum nova, ad illud uſque tempus, quo primum calumnia iſta nata eſt, ab annis jam plurimis in ſcholis trita, in quibus ultima illa pars non legebatur: Ad horum normam ajebat ſe nihil ſuſpicantem, cum exemplaria deſiderarentur, *Abecedarium* impreſſiſſe de novo, aut imprimi curaſſe, nullius prorsùs conſilio vel inſtinctu inductum. Atque hæc cum ignorare non poſſit *Victor Cancellati*; *quâ fide quæſo, tandem poſtulat, publico oſtendi ſcripto, cur abhinc annis aliquot, partem ſalutationis Angelicæ ultimam . . . tam nefarium in modum induxerimus?*

Nolumus huic calumniæ, totque aliis dicteriis & conviciis, durius quidquam rependere (neque enim hâc Defenſione eget *Supplicatio.*) Fallimur, ſi Authoritatem veſtram, Viri Illuſtriſſimi, ac *formulam* hâc velitis ratione defendi. Si enim cauſa bona eſt; imbelli iſto defenſionis genere non indiget; ſi mala; deterior efficitur. Nobis certum eſt, calumniis preces ſupplices opponere; dicteriis & conviciis, rationes & argumenta: nec dubitamus quin magis apud vos, & bonos omnes valitura ſit modeſta & humilis, at ſolida, SUPPLICATIO; quam clamoſâ injurioſâque, & magis *Contentionibus*, quam rationibus nixa FORMULÆ DEFENSIO. Pro-

Propoſitio & Partitio eorum, quæ dicenda ſunt.

TOta hæc de *Formula* Controverſia ad quinque Capita reducitur.

I. An Quæſtio fidei ſit, ac proinde revelatum, *Hæreſes quinque Propoſitionum contineri in libro, cui nomen* AUGUSTINUS &c. Nam ſi id revelatum ſit; poteſt Eccleſia authoritate infallibili id tamquam fidei definire: ſi revelatum non ſit, non poteſt.

II. An Quæſtio facti ſit, an juris, *Hæreſes illas in eo libro contineri?* Et ſi qualiſcumque juris dici poſſit; an talis juris ſit, quod ex revelatione, adeóque & ex Eccleſiæ definitione infallibiliter poſſit decidi?

III. Qualis in hac Quæſtione mens ſit Cardinalium Bellarmini & Baronii, Aliorumque, qui hìc Eminentiſſimorum illorum Virorum ſententiam profitentur?

IV. Quid hìc ſtatui poſſit ac debeat ex iis, quæ acta ſunt ſub Clemente IX. qui pacem Eccleſiæ reddidit anno 1668?

V. An neceſſarium ſit vel utile, *formulam* aliquam in Belgio præſcribi?

His per *alteram* hanc SUPPLICATIONEM diſcuſſis, & firma conſiſtent prioris noſtræ SUPPLICATIONIS argumenta; & quidquid adverſus illam moliti ſunt, DEFENSOR FORMULÆ in ſuo ANTIDOTO, *Theologiæ in Belgio Profeſſor* in INSTITUTIONE THEOLOGICA, VICTOR CANDIDATI in ſuis *Contentionibus*, aliique, ultrò ſine difficultate evaneſcet.

CAPUT PRIMUM.

An quæſtio fidei vel morum ſit, hæreticum quinque propoſitionum ſenſum contineri in libro, cui nomen, CORNELII JANSENII AUGUSTINUS? *Et an id poſſit infallibili Eccleſiæ judicio decidi?*

SUpplicatio noſtra §. 1. variis teſtimoniis aſſeruerat, *licitum non eſſe jurare id, de cujus veritate certò non conſtat.*

Pronuntiatum iſtud lubens amplectitur *Nicoſtratus* Content 1.pag.5 miraturque

râturque *ſupplices illos Ianſeniſtas*, ut ait, *tantum operæ perdidiſſe in firmando principio, quod lippis & tonſoribus notum eſt.*

Operam non perdidimus; ſed quoniam hodie certiſſima quæque in dubium revocantur à quibuſdam Theologis, meritò timuimus, nè forent qui dicerent, tunc ſaltem *licitum eſſe jurare id de cujus veritate non conſtat*, cum id jurari mandant Eccleſiæ Præpoſiti. Nec vanum fuiſſe timorem noſtrum eventus probavit: neque enim defuit qui diceret, etſi efficeremus DUBIUM *eſſe ſenſum Ianſenii*; mandantibus tamen Epiſcopis, jurandum.

Adverſus hos munienda erat Supplicatio. At benè quod aliter cum ſuis ſentiat *Nicoſtratus*; novam in re clara operam non perdimus: progredimur ad firmandum id quod *Supplicatio* habet §. 2 *Certitudinem facti Ianſeniani haberi non poſſe ex ſola deciſione Eccleſiæ*: quod tum demum confecerimus, cum oſtenſum fuerit, quæſtionem, quâ quis Janſenii ſenſus ſit quæritur, neque ad fidem neque ad mores ſpectare.

§ I.

Quæſtio omnis ad fidem vel mores pertinens, jam olim Apoſtolis aliiſque Hagiographis revelata eſt, & verbo Dei ſcripto vel tradito continetur.

FIdem jam olim revelatam eſſe & Eccleſiæ traditam, nullaſque jam indè à temporibus Apoſtolorum novas fieri ad novum articulum condendum revelationes, conſtans eſt Patrum & Theologorum ſententia.

Nobis, ait Tertullianus, *curioſitate opus non eſt poſt Chriſtum, nec inquiſitione poſt Evangelium. Cum credimus, nihil deſideramus ultrà credere. Hoc enim credimus, non eſſe ultrà quod credere debeamus.* De præſcrip. cap. 8.

Et idem paulò antè: *Nobis*, inquit, *nihil ex noſtro arbitrio inducere licet, ſed nec eligere quod aliquis de ſuo arbitrio induxerit: Apoſtolos Domini habemus Authores, qui nec ipſi quidquam ex ſuo arbitrio, quod inducerent, elegerunt: ſed acceptam à Chriſto diſciplinam fideliter Nationibus adſignaverunt.* Ibidem cap. 6.

Epiphanius hæreſi 55. contra Melchiſedecianos: *Termini*, inquit, *præſcripti ſunt nobis, & fundamenta poſita, & fidei ſtructura, & Apoſtolorum traditiones, & Sacræ litteræ, & cæleſtis Doctrinæ propagata ſucceſſio, & denique divina veritas ex omni parte munita eſt & conſtituta.*

Hoc inquam ſemper, ait Lirinenſis, *neque quidquam præterea Hæreticorum novitatibus excitata Conciliorum ſuorum decretis Catholica perficit Eccleſia, niſi ut quod prius à Majoribus ſolâ traditione acceperat, hoc deindè poſteris etiam per ſcripturæ chirographum conſignaret.* Cap. 32.

Poſt

Poſt Patres S. Thomas Scholaſticorum Princeps: *Innititur*, inquit, *fides noſtra revelationi Apoſtolis & Prophetis factæ, qui Canonicos libros ſcripſerunt: non autem revelationi, ſi qua fuit aliis Doctoribus facta*. 1. q. 1. a. 8. ad 2.

Hunc limitem in definiendis Articulis fidei ipſa ſibi fixit Synodus Tridentina his verbis: *Sacroſancta, OEcumenica, & generalis Tridentina Synodus.... hoc ſibi perpetuò antè oculos proponens, ut ſublatis erroribus puritas ipſa Evangelii in Eccleſia conſervetur: quod promiſſum antè per Prophetas in Scripturis Sanctis, Dominus noſter Jeſus Chriſtus Dei Filius proprio ore primum promulgavit, deindè per ſuos Apoſtolos, tamquam fontem omnis & ſalutaris veritatis & morum diſciplinæ, omni creaturæ prædicari juſſit:* PERSPICIENSQUE HANC VERITATEM ET DISCIPLINAM CONTINERI IN LIBRIS SCRIPTIS, ET SINE SCRIPTO TRADITIONIBUS, *quæ ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis, Spiritu ſancto dictante, quaſi per manus traditæ, ad nos uſque pervenerunt; Orthodoxorum Patrum exempla ſecuta, omnes libros tam veteris, quàm novi Teſtamenti, cum utriuſque unus Deus ſit Author, nec non Traditiones ipſas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tamquam vel oretenus à Chriſto, vel à Spiritu ſancto dictatas, & continuâ ſucceſſione in Eccleſia Catholica conſervatas, pari pietatis affectu & reverentiâ ſuſcipit ac veneratur.* Hæc Patres Tridentini ſeſſ. 4.

Ubi apertè profitentur, *Omnem & ſalutarem veritatem, morumque diſciplinam libris ſcriptis, & ſine ſcripto Traditionibus contineri.*

Ut proindè ex Patrum, Scholaſticorum, atque ipſius Concilii Tridentini doctrinâ certiſſimè concludere liceat, eam quæſtionem ad fidem ſpectare non poſſe, quæ olim revelata non eſt, & verbo Dei ſcripto, vel tradito non continetur.

Adeò manifeſta eſt hæc veritas, ut nec *Defenſor formulæ* illam neget, ſed apertè eam profiteatur his verbis: *Quidquid Pontifices, quidquid Concilia definiverunt, & univerſa credit Eccleſia, nititur Scripturâ Sacrâ & traditione. Concilia enim & Romani Pontifices, quoties aliquid divinâ fide tenendum nobis propoſuêre, cum, ut communiter docent Theologi,* ECCLESIA POST APOSTOLORUM TEMPORA NIHIL DEFINIVERIT EX REVELATIONE NOVA, SED EX EA, QUÆ APOSTOLIS ALIISQUE HAGIOGRAPHIS FACTA EST, *Scripturas Sacras conſulit, & Patrum traditionem, quam ex eorum ſcriptis collegit.* Defenſio formulæ cap. 3.

Atqui ſubſumere liceat, *Apoſtolis aliisvè Hagiographis* revelatum non eſt, fore ut ſenſus quinque Propoſitionum hæreticus contineatur libro, cui nomen *Cornelii Janſenii Auguſtinus*: ſed hoc §. ſequenti diſcutiendum eſt.

§ II.

§. II.

Apoſtolis aliisve Hagiographis revelatum non eſt, fore ut ſenſus quinque Propoſitionum hæreticus contineatur libro, cui nomen, Cornelii Jansenii Augustinus: *adeòque nec quæſtio fidei aut morum eſſe poteſt, nec infallibili Eccleſiæ judicio definiri.*

Nugari videbimur, ſi probare contendamus, *Apoſtolis aliisve Hagiographis* revelatum non eſſe, fore ut ſenſus quinque Propoſitionum Hæreticus contineatur libro, cui nomen, *Cornelii Janſenii Auguſtinus.* Siquidem quidquid ad Fidem Catholicam vel mores pertinens illis revelatum eſt, *libris ſcriptis* ſeu Canonicis continetur, vel *ſine ſcripto traditionibus, quæ ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis, Spiritu S. dictante, quaſi per manus traditæ ad nos uſque pervenerunt*, ut paulò antè ex Tridentino didicimus.

Jam verò, neque libris Canonicis, neque traditione Apoſtolicâ contineri Quæſtionem, de qua hic agimus, adeò manifeſtum eſt; ut cum juxta ſua principia id affirmare deberent *Supplicationis* Adverſarii; affirmare tamen apertè non audeant, ne ſe legentium ludibrio exponant.

Aiunt, quæſtionem fidei eſſe, *An ſenſus quinque Propoſitionum Hæreticus ſit in libro, cui nomen*, Cornelii Jansenii Augustinus: Hoc ut probarent, oſtendere deberent, eam vel in libris Canonicis vel in traditionibus contineri (*nam Eccleſia poſt Apoſtolorum tempora nihil definit ex revelatione nova, ſed ex eâ, quæ Apoſtolis aliiſque Hagiographis facta eſt*, ait Defensor Formulæ cap. 3. Ideoque *quoties aliquid divinâ fide tenendum nobis proponit, Scripturas Sacras conſulit, & Patrum traditionem*) Verum tantum abeſt, ut id oſtendant, ut nè oſtendendum quidem ſumere audeant; ſed ſine probatione ullâ, quæſtionem iſtam fidei eſſe, fronte intrepida aſſeverent.

Librum Janſenii Hæreſes continere, & quidem famoſas quinque.... Fidei *eſſe manifeſtum eſt*, ait Defenſor formulæ ibidem. Quo fundamento? Nullum prorſus aſſignat iſto capite, neque (quod ſciamus) alibi: ſed id ſolum agit, ut oſtendat eſſe quæſtionem juris; in quæſtionibus autem juris definiendis Eccleſiam eſſe infallibilem: Tum adjungit, *atque hoc ut juris, ita fidei eſſe, manifeſtum eſt.* Nullâque probatione additâ, mox inferr, Hæreticam eſſe propoſitionem, quæ vel negat, vel in dubium revocat, *Hereſes quinque propoſitionum in Libro Janſenii contineri.*

Factine ſit iſta quæſtio, an juris, & an in ea definienda (ſi juris vocari debeat

beat) infallibilis ſit Eccleſia, diſpicietur Capite ſecundo: iſtud hic affirmamus ſi quæſtionem illam fidei eſſe velit *Defenſor formulæ*, debere eum juxta ſua ipſius principia oſtendere, quæſtionem illam libris Canonicis, vel traditionibus Apoſtolicis contineri. *Quidquid enim Pontifices*, ait ipſe, *quidquid Concilia definiverunt, & univerſa credit Eccleſia*, NITITUR SCRIPTURA SANCTA ET TRADITIONE .... Ideoque *cum Eccleſia, ut communiter docent Theologi, poſt Apoſtolorum tempora nihil definiat ex revelatione novâ, ſed ex ea quæ Apoſtolis aliiſque Hagiographis facta eſt; quoties aliquid divinâ fide tenendum nobis proponit, Scripturas Sacras conſulit, & Patrum traditionem.* Ipſa propè verba ſunt, at ſenſus ipſiſſimus *Defenſionis* Capite 3.

Prorsùs aſſentimur his: *Quidquid univerſa credit Eccleſia, nititur Scripturâ Sanctâ & traditione: Eccleſia poſt Apoſtolorum tempora, quoties aliquid Divina Fide tenendum nobis proponit, nihil definit ex revelatione nova, ſed ex ea quæ Apoſtolis aliiſque Hagiographis facta eſt:* Verùm poſtulamus, ut *Defenſor* formulæ, juxta hæc quæſtionem de ſenſu Janſenii, quæſtionem fidei eſſe oſtendat: quæſtionem, inquam, quæ *nitatur Scripturâ Sanctâ & traditione;* quæ *non ex revelatione novâ, ſed ex eâ, quæ Apoſtolis aliiſque Hagiographis facta eſt*, definita fuerit: Quod ſi oſtendere non valeat; debet aut Theologiæ, quæ admiſit, principia negare; aut quæſtionem illam fidei non eſſe, admittere.

Nos inconcuſſis illis Theologiæ principiis innixi, intrepidè affirmamus, quæſtionem illam ad fidem aut mores ſpectare non poſſe, quæ ut Scripturâ Sanctâ & traditione non nititur; ita nec eâ, quæ Apoſtolis aliiſque Hagiographis facta eſt, revelatione.

Hinc porrò conſequitur, nec poſſe illam ab Eccleſia definiri judicio infallibili: neque enim in definiendo infallibilitatem habet Eccleſia, niſi Scripturâ Sanctâ & traditione, atque eâ, quæ Apoſtolis aliiſque Hagiographis facta eſt, revelatione nitatur.

§. 3.

Solvitur objectio Nicoſtrati, *& oſtenditur nè implicitè quidem revelatum dici poſſe, ſenſum quinque propoſitionum Hæreticum eſſe in libro Janſenii.*

N*Icoſtratus* Contentione 6. pag. 36. ſic nobis argumentari videtur: "Rectè „ dicitur revelatum in Sacris Litteris, ſaltem implicitè, quis ſit ſenſus ho„ rum verborum, *Hoc eſt corpus meum*, etſi in illis revelatum non ſit expreſsè „ quæ ſit verborum illorum vis, quæ inſtitutio, quæ ſignificatio: nam im„ plicitè ſaltem id revelari videtur, quando quis ſit verborum illorum ſenſus, „ ſatis intelligi poteſt ex communi & ab omnibus recepta ſignificatione, quæ „ aliundè innoteſcit.

Simi-

,, Similiter rectè revelatum dicitur, ſaltem implicitè, me peccaſſe in Ada-
,, mo, quia omnes homines in Adamo peccaſſe revelatum eſt: nam etſi Deus
,, eſſe me hominem non revelârit; hominem eſſe me ſatis compertum aliundè
,, habeo.

,, Igitur & rectè revelatum dici poteſt, ſaltem implicitè, ſenſum quinque
,, propoſitionum hæreticum eſſe in libro Janſenii: nam etſi id explicitè re-
,, velatum non ſit, aliundè tamen id ſatis compertum habetur."

Hoc conſequens quidem non adeò clarè exprimit *Nicoſtratus*; ſed ſic exprimere deberet, ſi vellet aliquid ex ſuo antecedente concludere.

Itaque ne ingrediamur quæſtionem ſcholaſticam de nomine magis, quàm de re, an quædam dici poſſint revelata ſaltem implicitè; antecedens pauliſper admittimus, & ultrò concedimus, quædam poſſe dici implicitè revelata, quæ quidem expreſsè revelata non ſunt, ſed quæ ſatis aliunde notum eſt in expreſsâ aliqua revelatione contineri: ſicut v. g revelatum implicitè dici poteſt, me peccaſſe in Adamo, quia expreſsè revelatum eſt, omnes homines in Adamo peccaſſe; me autem hominem eſſe, adeoque & ſub omnibus hominibus contineri, aliundè exploratum eſt.

Verùm, admiſſo antecedente, manifeſtum eſt conſequentiam non ſubſiſtere: Etenim ut ſubſiſteret, deberet aliundè ſatis exploratum eſſe, ſenſum quinque Propoſitionum hæreticum contineri in Libro Janſenii: quo poſito, ſic argumentari poſſet *Nicoſtratus*: " Revelatum eſt, ſenſum quinque Pro-
,, poſitionum eſſe hæreticum: Atqui ſatis compertum eſt, aliundè ſenſum
,, illum hæreticum contineri in Libro Janſenii: Ergò ſenſum illum in eo Li-
,, bro contineri, revelatum eſt:"

At ſi ita argumentaretur; ignorare non poſſet negandum ſibi ſubſumptum. Jam enim anni ſunt plus quàm quadraginta, cùm inter ſe Catholici Doctores contendunt, an & quis hæreticus quinque Propoſitionum ſenſus eo Libro contineatur: ita ut minimè dici poſſit, ſatis compertum id eſſe exploratumque. Oſtendit hoc *Supplicatio* § 4. variis argumentis.

1. Quòd quinque Propoſitiones in terminis, ut aiunt, non extent in Libro Janſenii: adeóque non niſi per conſequentias, quæ obſcuræ eſſe ſolent, poſſint ex illo erui.

2. Quòd neque Janſenius, neque multi in Gallia cum Clero ſuo Epiſcopi, ubi operosè res illa diſcuſſa eſt, ſenſum iſtum hæreticum in eo contineri umquam agnoverint.

3. Quòd tam variæ ſint de condemnato libri illius ſenſu ſententiæ, quàm ſunt variæ de gratia doctrinæ.

4. Quòd Clemens IX. Pontifex Maximus non aliud exegerit ab Epiſcopis Eccleſiæ Gallicanæ, quàm ut fidem dogmati, facto autem reverentiam præſtarent.

 Haſce

Haſce quidem rationes refellere conatur *Inſtitutor Theologico-polemicus* num. 30. & ſeq. ſed nihil agit.

Nam, quod ad primam attinet, *Etſi*, ait, *in terminis quinque Propoſitiones illæ in Janſenio invenirentur, non tamen id maximum apud protervos fore argumentum*: nam vel tunc ſenſum illarum hæreticum in eo contineri negarent.

Sic ratio noſtra non ſolvitur, ſed firmatur: ſi enim nè tunc quidem ſemper compertum ſit, ſenſum Propoſitionum hæreticum Libro aliquo contineri, cùm ipſæ Propoſitiones continentur in terminis: quantò minùs id compertum erit, ſi in terminis non contineantur?

Ad rationem alteram dicit, non potuiſſe hæreticum Propoſitionum illarum ſenſum agnoſci à Janſenio, ut ſuum, jam ſepulto.

Sed vel hinc patet, rectè dictum eſſe in *Supplicatione*, deeſſe hic alterum certitudinis in ejuſmodi quæſtionibus argumentum, quod eſt ipſius Authoris confeſſio.

" Quod autem ſenſum illum nec Diſcipuli ejus, nec Epiſcopi quidam ,, Galliæ agnoverint, quàm leve, inquit, pondus facit?"

Leve: niſi graviſſima fuiſſet illorum Epiſcoporum ab eximia quadam doctrina & pietate, cæteriſque dotibus auctoritas. Leve: niſi pars non exigua Cleri gallicani acceſſiſſet. Leve: niſi *veram*, *perfectam*, *ac integram* illorum obedientiam ſummus Pontifex laudaſſet.

Ad Rationem quartam:" Sic, inquit, ratiocinari oportuiſſet; Moliniſtæ, ,,Thomiſtæ, Eximius Stejartius, licet diſcrepent inter ſe ſententiis de gratiâ ſuf- ,, ficiente, in hoc tamen conſpirant, quod unanimes fateantur ſenſum hære- ,, ticum quinque Propoſitionum in ſenſu ab Authore intento fuiſſe damna- ,, tum, & Libro Janſenio contineri: Ergò hinc certius fit, ſenſum hæreticum ,, ita in eo exprimi, ut de eo liceat ſecuriùs jurare."

Rectè argumentaretur *Inſtitutor*, ſi Moliniſtæ, Thomiſtæ, Eximius Stejartius, aliique in hoc conſpirarent, quòd omnes illi ſenſus, quos ſinguli affirmant, contineantur in Janſenio & ſint hæretici; tunc enim in Janſenio hæreſes contineri tantò eſſet certius, quantò plures, ſententiis inter ſe diſcrepantes, in hoc conſpirarent:

Verùm non ita ſe res habet. Senſum, quem hæreticum eſſe, & in Janſenio contineri aſſerunt Moliniſtæ, hæreticum eſſe negant Thomiſtæ: quem hæreticum eſſe & in Janſenio contineri dicunt Thomiſtæ, hæreticum eſſe vel ſaltem in eo contineri & condemnatum eſſe negant Moliniſtæ: ſenſum autem, quem adfert *Stejartius*, ſi hæreticum eſſe & in Janſenio contineri admittant Moliniſtæ, numquam certè Thomiſtæ hæreticum eſſe admiſerint.

Ita fit, ut quamquam omnes hæreticum quinque Propoſitionum ſenſum in Janſenio eſſe contendant; mutuam tamen authoritatem elidendo, rem prorsùs incertam, multiſque contentionibus obnoxiam relinquant.

Quæ

Quæ ad quartam rationem adfert, Capite quarto confutanda ſunt: quamquam hæc abundè oſtendant, compertum ſatis exploratumque non eſſe, ſenſum quinque propoſitionum hæreticum in Janſenio contineri.

§. IV.

Solvitur objectio altera, & contra Nicoſtratum *oſtenditur, non errare Pontificem in condendo decreto morum, etſi ex errore facti conderet decretum, quo præciperet id quod eſt perjurium.*

N*Icoſtratus* Content. 1. pag. 2. ut probet perjurii periculum non eſſe, dum ejurantur propoſitiones quinque in ſenſu Janſenii, ita argumentatur: "Aut nullum hic eſt perjurium, aut perjurium imperavit Pontifex: at„qui Pontifex, utpotè qui in decretis morum condendis errori obnoxius non „eſt, magnæ Eccleſiæ parti perjurium imperare non poteſt, non magis, in„quam, quam magnæ Eccleſiæ parti imperare poteſt uſuram, rapinam, „Adulterium, Sacrilegium, ſuperſtitionem, magiam, aliave id genus ſce„lera. Ergo, ſi quid retinueris ex Dialectica, ... conclude jam, hic nè „ſpeciem quidem aut umbram poſſe eſſe perjurii."

Hæc confirmare nititur teſtimonio Bellarmini, qui lib. 4. de Rom. Pont. cap. 5. dicit: "*Tunc* (videlicet cum Pontifex in condendis decretis morum „eſſet errori obnoxius) *Eccleſia non poſſet verè dici ſancta ut in Symbolo Apoſto„lorum vocatur; nam ſancta dicitur potiſſimum ob ſanctam profeſſionem; quia ni„mirùm legem & profeſſionem ſanctam profitetur, quæ nihil docet falſum,* NIHIL „PRÆCIPIT MALUM."

R. Nolumus tecum contendere, ô Nicoſtrate, ſitne Pontifex errori obnoxius in condendis decretis morum, an non ſit obnoxius: iſtud negari non poteſt, eſſe eum obnoxium errori in condendis decretis, quæ facto nec revelato nec evidenti nituntur: Tale autem eſt decretum, quo præcipit Pontifex jurari, ſenſum quinque Propoſitionum hæreticum eſſe in Libro Janſenii. Siquidem decretum iſtud nititur hoc facto, quod ſenſus quinque Propoſitionum hæreticus ſit in Janſenio: hoc autem factum, nec revelatum eſt, nec evidens, ut jam oſtenſum eſt: proindè decretum, quod illi innititur, poteſt eſſe errori obnoxium.

Pone Pontificem decretum condere quo imperet, ut hæc hoſtia, quam conſecratam eſſe credit, adoretur ab omnibus: putaſne errare in hoc decreto non poſſe Pontificem? Quid enim ſi Sacerdos nequam, qui illam conſecrare viſus eſt & de cujus fide non dubitat Pontifex, certò ſciat illam à ſe conſecratam non eſſe?

At Pontifex in Decretis morum condendis errori obnoxius non eſt.

R. Si dicas in decretis morum condendis obnoxium non eſſe errori juris; non contendimus: Si obnoxium non eſſe errori facti, nec revelati, nec evidentis; negamus.

" Sed errare non poteſt Eccleſia in *factis univerſalibus*, ait, *Defenſor formu-* „ *læ* Cap. 1. quorum notitia multùm ad univerſæ Eccleſiæ bonum & fide- „ lium mores conducere videatur, v. g. quod libro aliquo determinato con- „ tineatur doctrina hæretica vel Catholica.

R. Nè in iſtis quidem factis ab omni ſemper errore immunitas promiſſa eſt. Neque enim id omne infallibili Eccleſiæ judicio definiri poteſt, cujus notitia multum ad univerſæ Eccleſiæ bonum & fidelium mores conducit; ſed illud ſolum, quod Chriſtus ei revelare voluit, & infallibili ab ea judicio definiri. Alioquin quam multa facta ſunt, quorum notitia multùm eò conduceret, quæ tamen certum eſt ab Eccleſia infallibili judicio decidi non poſſe.

Quid magis ad univerſæ Eccleſiæ bonum & fidelium mores conduceret; quam noſſe quis in Pontificatu conſtitutus, maximè inter omnes univerſæ Eccleſiæ prodeſſet, & fidelium mores ac ſalutem promoveret? Et tamen nemo niſi inſipiens dixerit, Eccleſiam poſſe id factùm judicio infallibili definire.

Sed hæc magis eluceſcent ex Capite ſequenti: ubi de quæſtione Juris & facti agendum eſt.

CAPUT II.

An quæſtio de ſenſu Janſenii facti ſit, an Juris? Et, ſi qualiſcumque juris dici poſſit, an queat ab Eccleſia infallibili judicio definiri?

Totis viribus hoc unum propè contendunt *Supplicationis* Adverſarii, ut quæſtionem de ſenſu Janſenii, quæſtionem eſſe juris oſtendant: rati tum demùm admiſſum iri, quæſtionem illam infallibili Eccleſiæ judicio poſſe decidi, cum eam quæſtionem juris eſſe probaverint.

Nos quæſtionem illam apud Theologos facti potius, quàm juris, eſſe oſtendemus: aut ſi cui libeat juris illam vocare, non eſſe niſi juris humani & poſitivi, in quâ poſſit Eccleſia errare.

§. 1. Quæ

§. I.

Quæ ſit quæſtio illa facti de ſenſu Janſenii, cujus ubique meminit Supplicatio?

SIc Supplicationem oppugnant Trium-Viri noſtri, *Defenſor formulæ, Inſtitutor Theologico-polemicus, & Victor Cancellati*; ac ſi malevoli & Cavillatores eſſemus qui falſam ipſis circa factum Janſenii opinionem velimus affingere, & mentem noſtram non ſatis diſertè explicare.

Hinc omnes ſtudioſè monent, eſſe quaſdam facti quæſtiones de Janſenio & ſenſu Janſenii, in quibus errare poſſe Eccleſiam ultrò admittant. *Facti quæſtio eſt*, inquit DEFENSOR FORMULÆ, 1. *An Librum ullum Ianſenius umquam conſcripſerit.* 2. *An genuinus ejus Liber Cardinalibus Inquiſitoribus & Romanis Pontificibus ſit exhibitus, an non fœtus aliquis alienus & ſuppoſititius ad conflandam Ianſenio invidiam.* 3. *An Ianſenius in animo ſenſerit, quod ſcripſit* &c. Cap. 2.

Si dicant, ait INSTITUTOR, quæſtio facti eſt, *ſitne Cornelius Iprenſis Antiſtes verè Author iſtius operis ... fatebor &c* §. 2. n. 9.

Victor autem *Cancellati* plures in hoc paginas conſumit, ut oſtendat ſenſum à Janſenio vel quovis alio Scriptore intentum, poſſe eſſe duplicem, alium Scriptoris, ſcriptionis alium: per ſenſum verò à Janſenio intentum, quem fulminavit Pontifex, intelligi debere non ſenſum Scriptoris, ſeu quem Janſenius in mente habuit, dum librum ſuum conſcripſit; ſed ſenſum ſcriptionis, id eſt, *quem verba ex prima inſtitutione in tali orationis ſerie, ſpectatis antecedentibus & conſequentibus præ ſe ferunt.* Vide Contentionem 2.

Rurſus *Defenſor Formulæ*: *Quia*, inquit, *cum malevolis & Cavillatoribus nobis res eſt, iterùm monendi ſunt per Librum Ianſenii aliud nos non intelligere, quàm volumen illud, quod Eminentiſſimis Cardinalibus Inquiſitoribus ſupremis & Apoſtolicæ Sedi ſub hoc titulo*, AUGUSTINUS CORNELII JANSENII &c. *eſt exhibitum.*

Hiſce omnibus minimè opus erat; cum *Supplicatio* nuſquam circà Librum & ſenſum Janſenii cavilletur; ſed per Librum Janſenii intelligat volumen, quod *Cornelii Janſenii Auguſtinus* inſcribitur; per ſenſum autem Janſenii, eum ſenſum, qui in volumine iſto expreſſus eſt, ſive illum in mente habuerit Janſenius, ſive alium quemcumque.

Itaque quæſtio de ſenſu Janſenii, quam facti eſſe dicimus, hæc eſt: *An hæreticus quinque Propoſitionum ſenſus expreſſus ſit in Libro, cui nomen,* CORNELII JANSENII AUGUSTINUS? Hæc porrò an facti ſit, an juris, nunc diſpiciendum.

§ 2 *Quid.*

§. II.

Quid quæſtio facti? Quid quæſtio juris?

F*Actum* vocamus, quod eſt contingenter, ſive quod poteſt eſſe & non eſſe. Hinc quæſtio *facti* ea eſt, quâ quæritur, ſitnè aliquid quod poteſt eſſe & non eſſe?

Hæc quæſtio plerumque ex ſenſuum experimento, vel ex teſtimoniis quorumdam, de eo quod eſt vel non eſt teſtantium, decidenda eſt.

Inter *Facta*, alia à Deo revelata ſunt, alia non revelata.

Facta revelata ſunt v. g. quòd Filius Dei incarnatus ſit, quòd paſſus, quòd crucifixus, quòd mortuus &c. Et hæc ex teſtimonio Eccleſiæ, cui ei revelata ſunt, decidi oportet.

Facta non revelata ſunt v. g. Quòd fuerit aliquando Arius, & quòd Filium Patri conſubſtantialem negaverit: Quòd fuerit aliquando Calvinus, & quòd negaverit realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia: Quòd fuerit Janſenius &c. Et hæc facta ex teſtimoniis hominum & ſenſuum ferè exploranda ſunt.

Similiter quæſtio *Facti* dividitur in quæſtionem facti revelati & non revelati.

Rursùs inter facta, alia contentioſa ſunt & dubia; alia non contentioſa, ſed certa, notoria, ac evidentia.

Contentioſa ſunt ac dubia v. g. Quid ſenſerit Honorius circa voluntatem Chriſti? Quid Theodorus, Ibas, Theodoretus, circà perſonam Chriſti?

Non contentioſa ſunt v. g. Quid ſenſerit Arius de Chriſto? Quid Calvinus de reali Chriſti præſentia in Euchariſtia? &c.

Jus (ut quam latiſſimè cum *Supplicationis* adverſariis ſumamus) illud dicimus, quod eſt inſtar legis & regulæ cujuſdam, cui aliquid conformatur.

Ius iſtud eſt varium. Aliud eſt naturale, aliud poſitivum: Poſitivum aliud eſt divinum, aliud humanum: Divinum aliud eſt revelatum, aliud non revelatum: Humanum aliud eſt Eccleſiaſticum, aliud Civile; Aliud Rhetoricum, aliud Grammaticum; Aliud ex primâ inſtitutione, aliud ex uſu &c.

Pro hâc juris varietate variæ etiam ſunt quæſtiones Iuris: Aliæ juris naturalis, Aliæ poſitivi: Aliæ Juris poſitivi divini, Aliæ Juris poſitivi humani: Aliæ Juris poſitivi divini revelat, aliæ non revelati: Aliæ Juris poſitivi humani Eccleſiaſtici, aliæ Civilis; Aliæ Juris Rhetorici, aliæ Grammatici (nam & & Rhetores & Grammatici ſuas habent leges ac regulas) Aliæ denique Juris primum inſtituti, aliæ per uſum & conſuetudinem poſtea recepti.

Hæ omnes quæſtiones ex ſuo ſingulæ jure decidendæ ſunt.

Porrò

Porrò obſervandum, quod jus poſitivum tum divinum, tum humanum, ſit *Facti*: potuit enim jus iſtud eſſe & non eſſe.

Undè & quæſtiones Juris poſitivi, tum divini tum humani, vocari poſſent quæſtiones facti.

Obtinuit tamen in Scholis Theologicis, ut quæſtiones Juris divini revelati dicantur eſſe quæſtiones Juris: quia ex jure divino revelato decidendæ ſunt.

Non item in illis obtinuit, ut quæſtiones Juris poſitivi humani vocentur quæſtiones Juris; niſi fortè cum hoc additio, *poſitivi humani.*

Poteſt tamen apud Juriſperitos is uſus obtinuiſſe: quemadmodum & apud Rhetores & Grammaticos vocari poſſunt quæſtiones Juris, quæ ex regulis ac legibus Rhetorices & Grammatices decidendæ ſunt.

His de nominum ratione præmiſſis, videamus, factine an Juris quæſtio ſit, quâ quis libri alicujus ſenſus ſit, quæritur. Nam quæſtionem, quâ quæritur an hic vel iſte ſenſus ſit contra fidem vel mores, ad jus pertinere, eo quod ex Jure naturali vel divino revelato decidenda ſit, omnes ſine controverſia Theologi admittunt. Secus de quæſtione, quâ quæritur, quis ſit libri alicujus ſenſus: eòquod hæc vel ex Grammaticorum regulis, vel ex jure poſitivo humano, uſuque & conſuetudine, aliiſve adjunctis & factis definienda ſit.

§. III.

An Quæſtio Juris, an facti ſit, quâ quis *ſit libri ſenſus quæritur?*

QUæſtionem illam juris eſſe, contendit *Victor Cancellati* Contentione 2. hiſce argumentis, *Nicoſtratum* inter & *Philadelphum* agitatis:

" Nic. Philadelphe, putaſne quæſtionem, quâ quis ſit libri ſenſus quæritur, „ ex hominum ferè teſtimoniis eſſe ſolvendam, quibus ad probandam cædem „ ſolet opus eſſe? Toto Cælo aberras, ſi iſta judices.

„ Phil. Ex quibus igitur principiis iſta ſolvenda quæſtio eſt?

„ Nic. Ex eo jure, ex iis legibus, quibus humana adſtringitur locutio, „ hoc eſt ex vocum ſignificatione propter humanum commercium inſtituta „ & communi recepta conſenſu. Hoc autem genus aliquod juris eſſe, nemo „ bene ſanus neget. Sic igitur impugno adverſarios: Ideò ex illorum ſenten„tia quæſtio, quâ quæritur qualis ſit libri ſenſus, eſt juris quæſtio, quia ex „ jure decidenda eſt: atqui etiam quæſtio, quâ quæritur quis ſit libri ſenſus, „ eſt ex jure decidenda, uti jam vidimus: Ergo etiam quæſtio, quâ quæri„ tur quis ſit libri ſenſus, eſt quæſtio juris, non facti.

„ Phil. Aſſumptionem tibi dare non poſſum. Eſtne iſta vocum inſtitutio „ quaſi lex aliqua?

„ Nic. Jam dixi. Et ut inſtitutio lex non eſſet, pro lege certè eſſet con-

 „ ſuetudo

„ ſuetudo, quæ ſignificationem vocum approbavit. Dubitas? Tertullianum „ audi lib. de corona militis cap. 4. *Conſuetudo in Civilibus rebus pro lege ſuſ- „ cipitur.* Et in l. de quibus, 32. ff. de legib. dicitur: *Inveterata conſuetudo „ pro lege non immeritò cuſtoditur.* Et in l. ſeq. *Diuturna conſuetudo pro jure & „ lege in his, quæ non ex ſcripto deſcendunt, obſervari ſolent.* Sunt alia multa „ hujuſmodi, quæ longum eſt referre.

„ Phil. Capio. Et indè factum eſſe exiſtimo, ut Iſidorus lib. 5. Etymol. „ cap 3. conſuetudinem deſcripſerit, *Jus quoddam moribus inſtitutum, quod pro „ lege ſuſcipitur.* Hactenus *Nicoſtratus* & *Philadelphus.*

Ad quæ nos breviter: tot verbis opus non eſſe ut probetur, eſſe *jus* quoddam, & quaſdam *leges,* ex quibus de ſenſu alicujus propoſitionis vel libri judicandum eſt: ſed *jus* illud merè humanum eſſe & poſitivum; utpotè non niſi ab hominibus inſtitutum, & communi hominum conſenſu receptum. Quod enim jus iſtud aliud eſt, quàm ipſa vocum ſignificatio, quam homines inſtituerunt, & communis inter ipſos conſenſus ac conſuetudo approbavit?

Quare non aliud inferre poterat *Nicoſtratus,* quam quæſtionem, quâ quis libri ſenſus ſit quæritur, eſſe *quæſtionem Juris humani poſitivi:* Hoc autem ultrò concedimus. At talem quæſtionem *facti* eſſe dicerent Theologi.

"Certè Ampliſſimus D. Nicolaus de Bois, ait *Defenſor Formulæ*, in jure „ tum Civili, tum Eccleſiaſtico verſatiſſimus, poſt annos quadraginta & „ amplius ſcrutandis Authoribus Theologis, & juris utriuſque peritis impen- „ ſos, teſtatur in Epiſtola 8. nuper editâ, *ſe in nullo legiſſe quæſtionem de ſenſu, „ quem verba important, vocari quæſtionem facti. Tota* inquit, *Juris-conſultorum „ turba, niſi fortè excipias Doctorem van Eſpen* Gummarianæ factionis aſſeclam „ & fidei multis ſuſpectæ hominem (donate illi hanc injuriam, Viri Illu- „ ſtriſſimi) *docet & docuit quæſtionem de ſenſu teſtamentorum, Pactorum, con- „ tractuum, Donationum Legum, Canonum, Statutorum, Sententiarum alicujus libri, & generatim quarumcumque Scripturarum eſſe quæſtionem juris.*"

Decretum eſt nobis Epiſtolas Eruditiſſimi D. Nicolai du Bois non refutare: quæ refutatione noſtrâ non egeant, cum ſeipſas ſatis refutent. Sed quoniam illas citat *Defenſor formulæ;* verbum illi reponendum eſt. Eſto *tota Iuriſconſultorum turba* (ne excepto quidem Doctore van Eſpen, nullius factionis Aſſecla, & fidei ac vitæ probatiſſimæ homine) *doceat & docuerit, quæſtionem de ſenſu, quem verba important, vocari quæſtionem Iuris:* nihil indè concluſeris aliud, quam vocari quæſtionem juris apud Iuriſconſultos; non verò apud Theologos. Iuriſconſulti autem, cum *jus* nominant, jus ſuum poſitivum humanum, Civile & Canonicum, intelligunt. Ex quo rurſus non aliud inferri poteſt, quam quæſtionem ejuſmodi vocari poſſe *quæſtionem Iuris humani;* quod haud gravatè paulò antè admiſimus.

"Verum

„ Verùm, ait Nicoſtratus ; putaſne, Philadelphe, quæſtionem, quâ quis „ ſit libri ſenſus quæritur, ex hominum ferè teſtimoniis eſſe ſolvendam ?

Pro Philadelpho reſpondebimus. Quid aliud ſunt, Nicoſtrate, regulæ Grammaticorum, quàm quædam hominum teſtimonia, quibus voces aut conſtructiones in his illiſve adjunctis, hanc illamve ſignificationem habere teſtantur ?

Quid aliud Lexica, quàm variorum Authorum teſtimonia adducunt, qui ſignificationes vocum & conſtructionum ſenſus authoritate ſuâ confirmant? Quid ipſa conſuetudo, quæ vocum ſignificationem approbat, eſt aliud, quàm multorum ſimul hominum teſtimonium, qui de inſtitutione vel uſu vocum teſtantur? Adde & conſulenda eſſe adjuncta, in quibus vox aliqua & conſtructio ponitur. Quid verò adjuncta ſunt aliud, quam quædam Scriptoris teſtimonia, quibus ſe voces hoc illove ſenſu accipere teſtatur ?

Pone vocem aliquam plures ex inſtitutione & uſu ſignificationes habere, aliam novam, aliam veterem: Scriptorem autem teſtari, ſe vocem illam, non novâ ſed veteri tantum ſignificatione accipere; nonne ex teſtimonio Scriptoris, quod adjuncta exhibent, de ſenſu Scriptoris judicandum eſt ?

Quapropter, Nicoſtrate, id certò tibi perſuaſum habeas, *quæſtionem quâ quis ſit libri ſenſus quæritur, ex hominum ferè teſtimoniis eſſe ſolvendam :* Adeoque non juris, ſed facti quæſtionem ex tuis ipſius principiis dici oportere.

§ I V.

An ſi qualiſcumque juris ſit iſta quæſtio; poſſit eam Eccleſia judicio inf. llibili definire ?

NE de vocibus contendamus, de quibus tam prolixè contendunt *Nicoſtratus & Philadelphus*, admittamus pauliſper quæſtionem, quâ quis ſit libri ſenſus quæritur, apud Grammaticos & Iuriſperitos eſſe quæſtionem juris (humani ſcilicet & poſitivi) quippè quæ ex jure, legibus, & regulis Grammaticorum ac Iuriſperitorum decidenda ſit : Quid tandem indè concludet *Nicoſtratus ?*

„Nic. Atqui Eccleſia, (& ut tu dicis) Pontifex in decidendis quæſtio„nibus Iuris omni caret errandi periculo : ergo etiam caret omni errandi peri„culo in ſenſu alicujus libri ſcriptive decidendo.„

Erras Nicoſtrate, à nobis dici, Eccleſiam vel Pontificem in decidendis iſtiuſmodi quæſtionibus Iuris omni carere errandi periculo : Siquidem exiſtimamus abſque ſumma in Sedem Apoſtolicam injuria maximoque tum Catholicorum tum Hæreticorum ſcandalo id dici non poſſe. Quid enim inep-

tius, quam Eccleſiam vel Pontificem infallibilem facere in definiendis Quæſtionibus Grammaticorum de ſignificatione vocum & interpretatione librorum; item in decidendis cauſis forenſibus, atque in determinando *ſenſu Teſtamentorum, Pactorum, Contractuum., Donationum &c.* Hoc tamen dicendum eſt, ſi in hujuſmodi juris Quæſtionibus decidendis Eccleſia omni careat errandi periculo.

Dicimus itaque Eccleſiam infallibilem eſſe in decidendis quæſtionibus juris, ſed juris divini & revelati; quod non humano arbitrio inſtitutum eſt, vel uſu tantùm & conſuetudine hominum receptum, & legibus humanis expreſſum; ſed quod divinitus traditum eſt, continetur que vel *in Libris ſcriptis* ſeu Canonicis, *vel ſine ſcripto Traditionibus, quæ ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis, Spiritu S. dictante, quaſi per manus traditæ, ad nos uſque pervenerunt*, ut ſeſſ. 4. loquitur Tridentinum.

Verùm ipſum Tridentinum eâdem hâc ſeſſione opponit nobis INSTITUTOR THEOLOGICO - POLEMICUS, quòd *ad coërcenda petulantia ingenia decernit, ut nemo ſuæ prudentiæ innixus, in rebus Fidei & morum .... Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contrà eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione Scripturarum.... interpretari audeat.*

Hinc deducit §. 1. n. 5. " In omnibus, ſive Scripturarum, ſive Conciliorum, ſive Pontificum, ſive quorumcumque Patrum, aut Doctorum ſcriptis volvendis, eorumque genuino ſenſu in rebus Fidei & morum rectè intelligendo, Eccleſiæ judicio, *cujus eſt judicare de vero ſenſu* cujuſcumque Libri vel doctrinæ, ſemper ſtandum."

Quàm malè! Standum eſt ſemper Eccleſiæ judicio, *de vero ſenſu Scripturarum* judicantis: Ergò ſemper ſtandum judicio Eccleſiæ, judicantis de genuino ſenſu cujuſcumque Libri. Quàm malè, inquam, & parùm dialecticè, nihilque Theologicè! Verus ſcilicet Scripturarum ſenſus, in rebus Fidei & morum, Eccleſiæ revelatus eſt, ideóque ab ea poteſt infallibili judicio definiri: ſed non item revelatus eſt genuinus ſenſus cujuſcumque Libri; atque ideò non perìndè illum infallibili judicio definire poteſt Eccleſia.

At rursùs objicit num. 6. " Si in rebus Fidei & morum jus infallibile Eccleſiæ ſit, definiendi quid tenendum, *quo ſenſu*, & *in quo Libro*; nonnè jus idem ipſi erit infallibile docendi, quid fugiendum, *quo ſenſu*, *in quo Libro?* Tam enim ad conſervationem conducit ovium, noſſe vitare virulenta & noxia gramina, quam ad paſtum habere bona paſcua."

R. Jam diximus, in rebus Fidei & morum jus infallibile eſſe Eccleſiæ, definiendi non tantùm quid tenendum ſit, & *quo ſenſu*, ſed etiam deſignandi Libros Canonicos, in quibus id, quod tenendum eſt, continetur; nam & Libros illos Canonicos eſſe; & in iis id, quod tenendum eſt, contineri; &

hoc

hoc illovè ſenſu tenendum eſſe, Eccleſiæ revelatum eſt. Verùm non eadem eſt cæterorum Librorum ratio: Nam etſi Eccleſiæ ſit docere, non tantùm qui Libri Canonici ſint, ſed etiam qui extrà Libros Canonicos noxii ſint, qui utiles, quid in illis tenendum ſit, quid fugiendum, & quo ſenſu, non tamen hæc perinde ac iſta ex revelatione divinitùs accepit; ideóque non pari de his & illis infallibilitate judicat.

Et nobis quidem, fateor, conducere videtur *ad conſervationem ovium*, ſi hæc eâdem etiam infallibilitate doceret: ſed aliter viſum divinæ providentiæ, quæ occulto conſilio nè Eccleſiæ quidem ſuæ id promittere voluit.

§. V.

An ſequatur, nihil in Fide noſtra firmum fore, nihil non obnoxium errori; ſi in definiendo ſenſu alicujus Propoſitionis, Scripti, vel Libri, etam non revelato, falli poſſit Eccleſia?

ID ſequi putat *Defenſor Formulæ* Capite 3. Accinit illi *Inſtitutor Theologico-polemicus* num. 28. ſed maximâ *Contentione* id agit *Victor Cancellati* per NICOSTRATUM *Contentione* 6. his verbis:

" NIC. . . . . Si Eccleſia aut Pontifex labi poſſit in ſenſu cujuſpiam Scrip„ toris Catholici . . . . Jam nullus erit Conciliorum Canon, nullum Decre„ tum, in quo Catholicorum Fides poſſit firma conſiſtere."

Rem illuſtrare conatur exemplis tribus: quorum primum à Canonibus Epheſinis; Alterum, à Canonibus Concilii Arauſicani II. Tertium à Decreto Tridentini ſeſſ. 6. de juſtif. deſumitur.

Canones Epheſinos ait aliud nihil eſſe, quàm Anathematiſmos S. Cyrilli: Canones Arauſicanos, pleroſque omnes ex S. Auguſtini ſententiis & verbis contextos: Decretum verò Tridentini de juſtificatione, à Muſſo, Seripando, Aliiſque concinnatum fuiſſe.

Hæc proinde antequam approbarentur à Conciliis iſtis, nîl fuiſſe aliud, quàm Virorum illorum ſcripta, errori certè obnoxia.

Jam verò, ſi in definiendo Scripti alicujus ſenſu falli Eccleſia potuerit; nîl firmitatis Canonibus Epheſinis & Arauſicanis, atque Decreto Tridentini de juſtificatione reliquum eſſe.

" Denique, ait, nullum eſt ullius Concilii Decretum, nullus Canon, quem „ ego non debilitem, atque convellam.

" Cànant ergò, ait paulò poſt, ſupplices illi palinodiam, edicant palàm, „ Eccleſiam aut Pontificem nullum poſſe admittere errorem in definiendo, „ quis ſit ſenſus Ambroſii, Auguſtini, Hieronymi, Chryſoſtomi &c.

℟. Neque Palinodiam canimus, Nicoſtrate, neque quod dictum à no- bis

bis cupis, edicimus: Tibi Palinodiam canendam eſſe poſt triumphum, non triumphum ante victoriam canendam fuiſſe, jam oſtendemus.

Non ſequuntur è *Supplicatione* noſtra, quæ ex illa infers, incommoda. Nutare vis & vacillare undique Conciliorum Canones,& decreta omnia, nihilque eſſe, in quo Catholicorum fides poſſit firma conſiſtere; ſi Eccleſia labi poſſit in ſenſu alicujus ſcripti definiendo: ſic nimirum vacillare Canones Synodi Epheſinæ, & Concilii Arauſicani II. Decretum item Concilii Tridentini de Iuſtificatione; eò quod incertum ſit, an in definiendo Canonum illorum ſenſu Eccleſia lapſa non fuerit.

Falleris, Nicoſtrate, & neſcio quâ oſcitantiâ affirmas, Eccleſiam, dum Canones vel decreta condit, ſimul, quis ſit illorum ſenſus,definire: hoc enim quam novum eſt, tam eſt à veritate alienum. Non quis ſit ſenſus Canonum quos condit, definit Eccleſia; ſed id aliundè ſatis notum eſſe ſupponit: Hoc autem ſuppoſito, ſenſum illum Catholicum eſſe vel Hæreticum, definit. Sic Synodus Epheſina, cum Virginem Θεοτόκον ſeu Dei genitricem eſſe definivit, non definivit hunc ſenſum ſuis Canonibus contineri; ſed id adeò notum eſſe ſuppoſuit, ut nemo in dubium revocaret. Concilium Arauſicanum II. cum definivit doctrinam Catholicam de gratia,non definivit doctrinam illam ſeu ſenſum Canonibus ſuis exprimi; ſed hoc ut notorium ſuppoſuit.

Eadem eſt de Decreto Concilii Tridentini, aliorumve Conciliorum Decretis ac Canonibus reſponſio.

Et ſanè, quæ cauſa foret, cur Concilia quis Canonum ſuorum ſenſus ſit, definirent? Vel enim exiſtimant Concilia, Canones ſuos ita claros eſſe & perſpicuos, ut per novum Canonem,quis illorum ſenſus ſit, definiri non debeat; vel certè putant eſſe dubios & variis ſenſibus obnoxios: ſi prius, novo Canone opus non eſt; ſi poſterius, rem ridiculam facerent Concilia, ſi novum Canonem, clarum utique & minimè dubium. conderent, quo priorem illuſtrarent; quando eâdem operâ poſſent priorem illum Canonem, ſine novo Canone, clarum & perſpicuum reddere: niſi fortè progreſſus hic detur in infinitum, & Canones quicumque, quantumvis clari, per clariores ſemper exponendi ſint.

Maneat itaque fixum & inconcuſſum, errare poſſe Eccleſiam in ſenſu alicujus libri definiendo, dum quis ſit ſenſus illius, in Sacris Litteris vel Traditione revelatum non eſt: neque tamen propterea Concilia omnia debilitari poſſe atque convelli.

Quod dicimus, *Errare poſſe Eccleſiam in ſenſu alicujus libri definiendo, dum quis ſit ſenſus illius, revelatum non eſt*, non ſic accipi volumus, ac ſi tunc Eccleſia paſſim eſſet errori obnoxia; ſed quod tunc ea ipſi infallibilitas promiſſa non ſit, quam ſibi promiſſam habet, dum ea quæ revelata ſunt, definit.

Alioquin quis dubitet, quin aliam quamdam infallibilitatem tunc etiam habere

habere queat; quam vel ex ipſa rei evidentiâ, vel ex communi totius Orbis conſenſu mutuetur.

Sunt quidam libri adeò clari & perſpicui; ut illorum ſenſum quiſque vel tenuiter doctus intelligat. An tunc quod cuivis de vulgo Doctorum conceditur, negabis Eccleſiæ?

Deindè etſi obſcuritatem aliquam liber habeat; ſi tamen Orbis totus in eundem libri ſenſum conſentiat: poterit Eccleſia quadam infallibilitate aſſerere, eum eſſe libri ſenſum, in quem omnes conſpirant.

Porrò tantò minus hic errare poteſt Eccleſia, quantò ipſa eſt, non ſolum hominibus ſingulis, ſed & quibuſvis cœtibus, tum Ecclesiaſticis tum Politicis, quantumvis numeroſis & ſapientibus, præſtantior.

Quoniam tamen & Eccleſia ex hominibus conſtat, qui falli poſſunt; & infallibilitas ipſi in ſenſu cujuſcumque libri definiendo promiſſa non eſt: fieri etiam nonnumquam poteſt, ut in ſenſu alicujus libri, præſertim vaſti & obſcura controverſaque tractantis, fallatur.

§. VI.

Refellitur ulterius Nicoſtratus *aſſerens, ſenſum revelatum ex iiſdem principiis definiri, ex quibus definitur non revelatus.*

„ AT, objicit Nicoſtratus ex SUPPLICATIONE, *Poteſt Eccleſia definire* „ *definivitque infallibiliter, quis ſit ſenſus Chriſti dicentis Matt.* 26. Hoc „ EST CORPUS MEUM; *& Pauli eadem verba referentis*; 1. *Cor.* 11.: Ergo, „ infert, etiam poteſt Eccleſia definire, definivitque infallibiliter, quis ſit ſenſus Auguſtini, Arii, Neſtorii, Janſenii, & aliorum."

Sequelam probat: "Quia quæſtio de ſanctorum Patrum Hæreticorumque ſenſu non ex aliis decidenda eſt principiis, quàm quæſtio de Chriſti „ ſenſu vel Apoſtoli. Certè, ait, Pontifices & Concilia tum ad hanc, tum ad „ illam decidendam ſolent vim ſignificationemque verborum conſulere."

„Ad hoc probandum, inquit, in promptu mihi eſt Tridentina Synodus, quæ quem ſenſum habeant hæc auguſtiſſima Chriſti verba, *Hoc eſt* „ *corpus meum*, ex verborum ſignificatione definit..... De Sacroſanctis illis „ verbis ſic pronuntiat: *Quæ verba à Sanctis Evangeliſtis, commemorata, &* „ *à divo Paulo poſt repetita*, CUM PROPRIAM ILLAM ET APERTISSIMAM SIGNIFICATIONEM PRÆ SE FERANT, *ſecundùm quam à Patribus intellecta ſunt*; *indigniſſimum ſanè flagitium eſt, ea à quibuſdam contentioſis & pravis hominibus ad fictitios & imaginarios tropos, quibus veritas Carnis & Sanguinis Chriſti negatur, contrà univerſum Eccleſiæ ſenſum detorqueri.*"

His

His abundè ſatisfecit *Supplicatio*, ſi fieri ſatis poſſet *Nicoſtrato. Poteſt ſcilicet Eccleſia definire, definivitque infallibiliter, quis ſit ſenſus Chriſti dicentis Matt.* 26. Hoc eſt Corpus meum, *& Pauli eadem verba referentis* 1. *Cor.* 11. quia quis ſit verborum illorum ſenſus, Eccleſiæ revelatum eſt: Non ſic definire poteſt, quis ſit ſenſus Auguſtini, Arrii, Neſtorii, Janſenii, & aliorum; quia non item quis ille ſit, Eccleſiæ per revelationem innotuit.

"At eadem quæſtio ex iiſdem decidenda eſt principiis, ex vi ſcilicet & ſigni-„ ficatione verborum: ex qua priorem definivit Concilium Tridentinum?" R. Non aliis verbis utemur, quàm quæ ex Tridentino allegat *Nicoſtratus*, ut *Nicoſtratum* ex verbis Tridentini confutemus.

Itaque aſſerimus definiviſſe Synodum Tridentinam, quem ſenſum habeant hæc auguſtiſſima Chriſti verba, *Hoc eſt Corpus meum*, non tam ex verborum ſignificatione, quàm ex Traditione Patrum, qui verba iſta in *propriâ & apertiſſima, quam præ ſe ferunt, ſignificatione intellexerunt*. Verba Synodi aperta ſunt: CUM PROPRIAM ILLAM ET APERTISSIMAM SIGNIFICATIONEM PRÆ SE FERANT, *ſecundum quem à Patribus intellecta ſunt*. Audin' *Nicoſtrate*, SECUNDUM QUAM A PATRIBUS INTELLECTA SUNT? Poſteriora hæc verba, æquè ac priora, majuſculo charactere expreſſa oportuerat, Nicoſtrate, ſi velles Tridentinam Synodum tam contra Te, quam pro Te audire: ſed quæ Tibi commoda ſunt, videris ſola à nobis legi velle; quæ ſunt incommoda, nè obeſſe videantur, neglectius præteriri.

Sed hoc demus præcipitationi; illud ſaltem majuſculis notari debuerat: Ea verba *à quibuſdam .. ad... tropos...* CONTRA UNIVERSUM ECCLESIÆ SENSUM *detorqueri*: Cur non notabas majuſculis hæc: *Contra univerſum Eccleſiæ ſenſum*? Niſi quod tunc perſpicue intellexiſſent omnes, non tam ad verborum ſignificationem, quam ad *Univerſum Eccleſiæ ſenſum* attendiſſe Concilium, dum quis ſit verborum illorum ſenſus, definivit.

Sanè ſi ſola verborum ſignificatio ad definiendum illorum ſenſum ſufficiat; cur non æquè hæc, *Ego ſum vitis vera*, quam iſta, *Hoc eſt Corpus meum*, propriè intelligis? Nobis ratio in promptu eſt: quia ex revelatione conſtat, hæc propriè, illa impropriè intelligi oportere.

At ecce argumentum novum, quod in mentem venit *Nicoſtrato*: "Po-„ teſt Eccleſia vel Pontifex quis ſit ſenſus alicujus Authoris definire infalli-„ biliter, ſi, quis ſit ſenſus illius Authoris, in Sacris Litteris vel Traditione „ revelatum ſit.

"PHIL. Ita eſt."

"NIC. Eccleſia vel Pontifex, quis ſit ille ſenſus in Sacris Litteris vel „ Traditione revelatus, definire non poteſt, niſi verba adhibeat, & condat „ decretum aliquod, aliquemve canonem.

"Phil. Et illud verum eſt.

„Nic. Poteſtne Eccleſia aut Pontifex ſubjectum ſuis ipſius verbis ſenſum „ ita percipere, ut abſit omne errandi diſcrimen?

Pro Philadelpho reſpondemus, poſſe: niſi verba adeò obſcura ſint, & vel ex inſtitutione, uſu, aut conſuetudine, vel ex aliis adjunctis ita dubia, & æquivocationibus obnoxia; ut nec ſuorum verborum ſenſum intelligat.

"Nic. Si poteſt, cur eodem modo non poteſt percipere, an revelatus „ ſenſus ſubſit SS. Patrum, aliorumque Authorum voluminibus?"

Iterum reſpondemus, poſſe: Et ſic Synodus Epheſina percepit revelatum ſenſum, quem definire volebat, ſubeſſe Anathematiſmis S. Cyrilli, quos pro Canonibus poſuit: ſic Concilium Arauſicanum 11. percepit revelatum ſenſum de gratia ſubeſſe verbis & ſententiis S. Auguſtini, ex quibus ferè ſuos Canones contexuit &c. Quamquam aliud ſit de Propoſitione pauciſſimis circumſcriptâ verbis ſententiam ferre, aliud de volumine ſeu libro integro.

"Nic. Si dum Eccleſia aut Pontifex judicat de ſenſu alicujus Propoſitio- „ nis, non eſt ullum erratum metuendum; ergo etiam dum judicat de ſenſu „ libri integri. Quid enim liber aliud eſt, quam plurium Propoſitionum aptè „ inter ſe cohærentium coagmentatio?"

R. An nullum umquam erratum metuendum ſit, dum Eccleſia aut Pontifex judicat de ſenſu cujuſcumque Propoſitionis, jam ſatis dictum eſt: Sed eſto de ſenſu alicujus Propoſitionis judicare poſſet abſque errandi periculo; quod tandem iſtud eſt argumentandi genus, quo infert *Nicoſtratus*: poſſe, ergo etiam de ſenſu libri integri? Prorſus ſimile eſt, ac ſi diceret: Poteſt Doctor aliquis de ſenſu unius ex Auguſtino ſententiæ vel periodi judicare abſque errandi periculo; Ergo poteſt etiam de Auguſtini Libro integro. Quid enim Auguſtini Liber aliud eſt, quam plurium Propoſitionum vel periodorum aptè inter ſe cohærentium coagmentatio? An qui judicare novit de ſignificatione vocum, quæ in una aliquâ Propoſitione vel periodo connexæ ſunt; continuò etiam judicare poſſit de ſignificatione tot vocum quæ in tot Propoſitionibus & periodis connectuntur? An qui novit judicare de ſignificatione vocum, è quibus Propoſitiones & periodi fiunt; mox etiam de ſenſu ipſarum Propoſitionum & periodorum judicabit? An qui rectè judicat de ſenſu unius Propoſitionis vel periodi; rectè etiam judicabit de ſenſu tot propoſitionum & periodorum, quot Libro integro continentur? Denique qui rectè judicat de ſenſu tot Propoſitionum & periodorum ſeorſim; rectène etiam ſemper judicabit de connexione & cohærentia tot Propoſitionum & periodorum, & ſenſu, quem ſic inter ſe connexæ & cohærentes efficiunt? Id ſaltem dicere non poteſt *Nicoſtratus*, ſi teneat, quod paulò antè affirmavit, Eccleſiam in definiendo ſenſu alicujus Propoſitionis vel Libri non ex alio principio, quam ex vocum ſignificatione, quam in his illiſve adjunctis habent,

procedere : nam multo facilius ſignificatio vocum unius Propoſitionis, quam Libri integri cognoſcitur.

Quod ſi dicat, Eccleſiæ à Chriſto promiſſum eſſe, fore ut judicio infallibili de ſenſu non ſolum cujuſcumque Propoſitionis, ſed etiam Libri judicet; in aliud vitium incidit, & ut loquuntur Dialectici, petit principium, id ſupponens quod probare deberet, & quod eum probare non poſſe, jam ſatis oſtenſum eſt.

Veniamus ad incommoda alia, quæ objiciuntur ſecutura, niſi Eccleſia in definiendo ſenſu Propoſitionis vel Libri infallibilis ſit.

§. VII.

Objiciuntur & diſſlantur alia incommoda, quæ timenda videntur, niſi ſenſum Propoſitionis vel Libri, etiam non revelatum, definire poſſit Eccleſia judicio infallibili.

„ Vide obſecro, ait *Nicoſtratus Contentione 6.* quæ conſectariorum „ monſtra ac portenta enaſcantur. Sequitur enim, ut quando ſcriptura „ alio reddita eſt idiomate, quam quo uſus eſt Canonicus Scriptor, puta latino, puta Italico, Hiſpanico, Gallico, Flandrico, Germanico &c. Eccleſia ejus ſenſum ſine errandi periculo aſſequi non poſſit, imo Verbum „ Dei eſſe definat..... Vin proſequar? Cum ſignificatio latinarum vocum, quas reperire eſt in editione vulgata, D. Hieronymo aut alii ejus Authori à Deo revelata non ſit, etiam ſequitur ut Eccleſia, nequidem quis ſit „ vulgatæ ſenſus, definire infallibiliter queat.... *Miſera Dei Eccleſia!* quid- „ quid jam indè ab Hieronymi temporibus ex Vulgatæ ſenſu ſtatuiſti, ſive ad „ inſtituendos Catholicos, ſivè ad Hæreticos refellendos; dubium eſt, & errandi periculo non vacat. Tuque, ô Tridentina Synodus, Decretum condidiſti (ne quid gravius dicam) ineptum, dum ſeſſ. 4. hoc de vulgatâ voluiſti ſancitum &c."

R. Non terrent nos pueriles ejuſmodi exclamationes: Solidior eſt *Supplicatio*, quàm ut poſſit inani verborum exaggeratione moveri. Itaque conſtanter aſſerimus, quod Capite primo probatum eſt fuſius, nihil fide divinâ credendum eſſe, quod Eccleſiæ revelatum non ſit: ſed hinc non enaſcuntur monſtra ac portenta, quæ minatur *Nicoſtratus*.

Non ſequitur imprimis Scripturam, dum alio idiomate reddita eſt, Verbum Dei eſſe deſinere: nam etſi revelatum non ſit Scripturam, alio idiomate redditam, probè reſpondere Scripturæ originali in eo idiomate, quo uſus eſt Canonicus ſcriptor; poteſt tamen id aliunde tam certò conſtare, ut nemo rationis compos de eo poſſit ambigere.

Hâc

Hâc autem certitudine habitâ, ſecurè dici poteſt, Scripturam, alio idiomate redditam, Verbum Dei eſſe minimè deſinere: Multò verò magis, poſſe Eccleſiam ſine errandi periculo ſenſum ejus aſſequi; tum quod de genuina illius tranſlatione aliundè poſſit eſſe certiſſima, adeóque & ex verborum tranſlatorum ſignificatione de ſenſu illius judicare, tum maximè, quod Eccleſiæ revelatum ſit, quis ſenſus ſub illis verbis, quomodocumque tranſlatis, contineri debeat. Pone v. g. hæc verba latina, *Et verbum caro factum eſt*, vel hæc, *Hoc eſt corpus meum*, non exactè reſpondere verbis quæ habentur in textu Originali; poterit tamen Eccleſia infallibili judicio definire quis ſub illis verbis ſenſus tenendus ſit; nam etſi fortaſſis verba illa alio idiomate exactè reddita non eſſent, conſtat tamen ipſi ex revelatione jam olim facta, quis ſub illis verbis ſenſus teneri debeat.

Similiter etſi ſignificatio latinarum vocum, quas reperire eſt in Editione vulgatâ, Divo Hieronymo, aut alii ejus Authori à Deo revelata non ſit; poteſt tamen, quis illius ſenſus ſit, infallibiliter definire: nam & ſignificatio latinarum vocum aliundè ſat nota eſſe poteſt, & de fideli ipſius tranſlatione certò poteſt conſtare, &, quod eſt præcipuum, quis ſit Scripturæ Sacræ ſenſus, Eccleſiæ revelatum eſt.

Non igitur dubium eſt, non incertum, non errandi periculo obnoxium, quidquid jam indè ab Hieronymi temporibus ex vulgatæ ſenſu, ſimulque ex traditione ſtatuit Eccleſia, ſive ad inſtruendos Catholicos, ſive ad Hæreticos refellendos.

Minimè verò ineptum, ut ait *Nicoſtratus*, at ſapientiſſimum Tridentina Synodus decretum condidit, dum ſeſſ. 4. ſtatuit, *Ut vetus & vulgata Editio, quæ longo tot ſæculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt .. pro authentica habeatur; & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præſumat.* Nam etſi revelatum non ſit, Editionem illam ritè factam eſſe; id tamen tot hominum per univerſam Eccleſiam teſtimonio, & ſæculorum uſu probatum eſt (ſaltem in omnibus, quæ fidei & morum ſunt) ut qui ratione præditus eſt, in dubium id revocare non poſſit.

Atque hæc de factis non revelatis certitudo ſufficit, ut eâ ſuppoſitâ, articulos fidei, quos proponit Eccleſia, Divinâ fide credamus.

Nuſquam revelatum eſt, extitiſſe aliquando Synodum Tridentinam; aut ſi extiterit, fuiſſe univerſalem; eos qui interfuerunt, fuiſſe homines; aut ſi homines fuerint, fuiſſe Epiſcopos legitimè ordinatos; condidiſſe ipſos ea decreta, quæ illorum nomine circumferuntur; conſuluiſſe ipſos Scripturam, Traditionem & Patres; aut ſi hæc conſuluerint, non fuiſſe exemplaria corrupta; & his ſimilia ſexcenta. Sed numquid propterea fide divinâ credere recuſabo Articulos, quos ſic credendos proponit? Inſipiens ſim, ſi id fecero. Nam etſi hæc facta revelata non ſint, nec fide divinâ iſta credam; adeò tamen

mihi certa ſunt, ut homo non ſim, ſi dubitem: quare, illis ſecurè ſuppoſitis, Fide Divinâ quod credendum proponit, amplector.

At, inquies, niſi poſſint facta ejuſmodi infallibili Eccleſiæ Authoritate decidi; numquam compeſci poterunt Hæretici, aut perverſi Catholici quominùs Canones omnes & Decreta Eccleſiæ in dubium revocent: ſi enim factorum illorum fides vacillet, vacillare etiam Canones & Decreta, quæ ſine illis fortè ne extitêre quidem, neceſſe eſt.

℟. Ad compeſcendos Hæreticos & perverſos quoſdam Catholicos, quantum Deus illos compeſci voluit, ſatis eſt, facta illa eſſe ejuſmodi, ut ab homine, qui humanâ ratione uti voluerit, negari non poſſint. Proindè opus non eſt ea infallibili Eccleſiæ judicio definiri, quando aliundè illa comperta & explorata ſunt.

Hoc ſanè negare non poteſt *Nicoſtratus*, qui Contentione 6. hanc nobis viam oſtendit. Etenim illic affirmat, poſſe quædam ab Eccleſia judicio infallibili definiri divinâ fide credenda, quæ tamen Eccleſiæ revelata non ſunt, ſed tantum aliundè ſatis comperta habentur.

Ex quibus ſic ipſum redarguere licet: Si quædam poſſint aliundè, quam ex revelatione, ſic comperta eſſe, ut ea Eccleſia infallibiliter definiat: poſſunt etiam ſinè revelatione & Eccleſiæ definitione ſic eſſe comperta, ut de iis nobis ſecuris prorſus eſſe liceat.

Fatemur tamen numquam defuturum Hæreticis, aut etiam perverſis quibuſdam Catholicis, undè Eccleſiæ Canones & Decreta oppugnent: ſed nec tunc ipſis deerit quod inveniant, cum authoritatem in factis illis decidendis infallibilem Eccleſiæ conceſſeris.

Quid enim, ſi in infinitum progrediantur; & ex ipsâ factorum definitione novas ſemper facti quæſtiones, quæ novâ definitione decidendæ ſint, excitent? Quid ſi dicant, rem ſatis maturè diſcuſſam non eſſe? Non ſatis conſtare, an legitimam Authoritatem habeant, qui rem deciderunt? &c. An propter cavillationes ejuſmodi, in infinitum ſuas de factis definitiones extendet Eccleſia? Et quis tandem earum finis, ſi in infinitum extendendæ ſint? Aut quomodò compeſcentur homines cavillatores & malevoli, niſi ſic extendantur?

Quare nequaquam propterea debuit Eccleſia in factis non revelatis decidendis Authoritatem infallibilem accipere: quam ſi accepiſſet, nec ſic poſſet Cavillatores omnes & Malevolos compeſcere.

Sic Eccleſiam decuit à Chriſto inſtitui, ut in rebus quidem fidei & morum, quæ ſenſibus & humanâ ratione percipi non poſſunt, eſſet infallibilis, & viam ſalutis, quam alioquin invenire non poſſent, tutam omnibus oſtenderet: in factis verò non revelatis, quæ ſenſibus & ratione humanâ inveniri poſſunt, non eandem illi infallibilitatem impertiretur.

Quod

Quod ſi interim contingat quoſdam ob factorum iſtorum ignorantiam perire; id imputandum non erit Eccleſiæ, quæ facta illa infallibili judicio definire non debuit; ſed ipſis, qui pereunt: qui, dum poterant, debebant oculos aperire ut facta iſta viderent, & humanâ ratione uti, ut diſcuterent.

Dicat quis Heterodoxus, non conſtare ſibi de hoc facto, an Concilium Tridentinum fuerit Generale Concilium, Eccleſiam Univerſam repræſentans? Addat, hoc factum ab Eccleſia definitum non eſſe; atque hoc prætextu abjiciat Articulos fidei, qui illic definiti ſunt: Cui obſecro, adſcribendum erit, quod iſte non credat? Non Eccleſiæ, quæ factum iſtud non definivit; ſed Ipſi qui oculos ſuos aperire non vult, ut facti illius veritatem deprehendat.

CAPUT III.

Rectè Supplicatio *pro ſe allegat Cardinales, Bellarminum & Baronium, alioſque.*

HIc tandem, ubi maximè victi ſunt, triumphum canunt *Defenſor Formulæ* & *Victor Cancellati:* & quoniam rationes ipſis deſunt, ad dicteria & convicia, ut fieri ſolet, converſi *impoſturarum* & *mendaciorum ſplendidiſſimorum* SUPPLICANTES redarguunt.

Sic nimirum ſplendidiſſimis Eminentiſſimorum Virorum teſtimoniis, quorum lucem ferre non poterant, tenebras offundere conantur; & mendacia ac impoſturas clamando, legentium mentem aliò avocare.

Nos illis nihil territi, tranquillis oculis animiſque Bellarminum ac Baronium relegemus; probabimuſque, & ſolidè ex illis firmari, quod firmatum volebat *Supplicatio*; & nihil ex illis mendaciter à nobis allegatum fuiſſe.

§. I.

Repetuntur ea, quæ ex Bellarmino dixerat Supplicatio; *oſtenditurque, rectè ex iis probatum eſſe, Eccleſiam falli poſſe in ſenſu alicujus libri definiendo.*

QUæ ex Bellarmino dixit Supplicatio, hæc ſunt.

"BELLARMINUS de Rom. Pontif. lib. 4. cap. 2. CONVENIUNT, „ inquit, OMNES CATHOLICI... *Poſſe Pontificem, etiam ut Pontificem, &* „ *cum ſuo Cœtu Conſiliariorum, vel cum generali Concilio, errare in controver-* „ *ſiis facti particularibus, quæ ex informatione teſtimoniiſque hominum præcipuè* „ *pendent.* „ Unde

„ Undè Capite 11. ibidem admittit dici poſſe, *Patres VI. Synodi damnaſſe quidem Honorium, ſed ex falſâ informatione, ac proinde in eo judicio erraſſe. Quamvis enim generale Concilium legitimum non poſſit errare, ut neque erravit hoc ſextum, in dogmatibus fidei definiendis, tamen errare poteſt in quæſtionibus de facto.*

„ Undè intrepidè concludit: *Itaque* TUTÒ *dicere poſſumus, eos Patres deceptos ex falſis rumoribus, & non intellectis Honorii Epiſtolis, immeritò cum Hæreticis commemorare Honorium.*

„ Eodem fundamento circà Honorii Litteras deceptos fuiſſe Leonem II. Adrianum II & Synodum VII. affirmat ibidem." Hæc *Supplicatio*.

Ex his ſine fuſiori probatione ſatis elucet, quod ex illis colligebat *Supplicatio*, poſſe falli Eccleſiam in ſenſu alicujus libri definiendo: Sed quoniam ſunt, qui lucem in meridie deſiderant, ſingula elucidabimus.

CONVENIUNT OMNES CATHOLICI, ait Bellarminus, ... *poſſe Pontificem ... cum generali concilio, errare in controverſiis facti particularibus.*

Atqui, nunc ſubſumimus, controverſia hæc, *quis ſit ſenſus libri Janſenii*, juxtà Bellarminum dici debet controverſia facti particularis: ergò &c.

Quòd talis juxtà ipſum dici debeat, conſtat ex his Bellarmini verbis cap. 2. ibidem: *Annotandum eſt... ſententias & decreta Pontificum interdum verſari in rebus univerſalibus, quæ toti Eccleſiæ proponuntur, qualia ſunt decreta de fide & præcepta morum generalia: interdum in rebus particularibus, quæ ad paucos pertinent, quales ferè ſunt omnes controverſiæ facti, ut an talis ſit promovendus ad Epiſcopatum, an jure fuerit promotus, an videatur deponendus.*

Atqui, iterum ſubſumimus, *toti Eccleſiæ proponi* non debet, *quis ſit ſenſus libri Janſenii*; ſed *ad paucos* fortaſſe doctiores, qui illum legunt, iſta res *pertinet*: Ergò juxtà Bellarminum ea controverſia inter *controverſias facti particulares* recenſenda eſt.

Facti, inquam: nam *facti* eſſe, *an hic ſit ſenſus libri Janſenii, an iſte*, probatione non eget; & ſi eget, jam ſuprà probatum eſt.

Sed addit Bellarminus: *Quæ ex informatione teſtimoniiſque hominum præcipuè pendent.*

Ita eſt: ſed, PRÆCIPUE, ait, *pendent*, non omninò. Quamquam & hanc controverſiam ex *teſtimoniis hominum*, præcipuè Grammaticorum & aliorum, qui in Etymologia, inſtitutione, ac uſu vocum verſati ſunt, non parùm pendere ſuprà oſtenſum ſit.

His ſi addas, quæ deindè ſubjungit *Supplicatio*, patebit clariſſimè, eam controverſiam juxtà Bellarminum *controverſiam facti particularem* dici debere.

"Capite 11. ibidem admittit (Bellarminus) dici poſſe, *Patres VI. Sy-*

„ *nodi*

„ *nodi damnaſſe quidem Honorium, ſed ex falsâ informatione, ac proindè in eo*
„ *judicio erraſſe. Quamvis enim generale Concilum legitimum non poſſit errare,*
„ *ut neque erravit hoc ſextum, in dogmatibus fidei definiendis, tamen errare*
„ *poteſt in quæſtionibus de facto.*

„ Unde intrepidè concludit: *Itaque* TUTÒ *dicere poſſumus, eos Patres*
„ *deceptos ex falſis rumoribus, & non intellectis Honorii Epiſtolis, immeritò*
„ *cum Hæreticis commemorare Honorium.*"

Opponit hic Bellarminus inter ſe, *Dogmata fidei*, & *Quæſtiones de facto*: *In dogmatibus fidei definiendis* errare non poſſe Concilium, affirmat; errare poſſe *in quæſtionibus de facto* admittit. Sic nempè erraſſe Patres Synodi VI. qui decepti ex falſis rumoribus, & NON INTELLECTIS HONORII EPISTOLIS, immeritò ipſum cum Hæreticis commemorarint. Undè ſic concludimus:

Si *in dogmatibus fidei* errare non potuerit Synodus ſexta; errare certè non potuit *in intelligendis Honorii Epiſtolis*, ſi dogma de ſenſu illarum Epiſtolarum ſit dogma fidei: At qui in illis intelligendis erravit, juxtà Bellarminum: Igitur juxtà illum dogma de ſenſu illarum Epiſtolarum, non eſt dogma fidei.

Denique ut nulla ſuperſit dubitatio, quin quæſtionem, quâ quis libri ſenſus ſit, quæritur, inter controverſias facti particulares numeret Bellarminus: hoc tibi argumentum habeto. Bellarminus, (ſi acta Synodi ſextæ corrupta non ſint) admittit eam in quæſtione facti, non tamen in quæſtione juris circà Honorium erraſſe: Atqui ſcivit Bellarminus, Synodum illam Actione 13. damnaſſe Epiſtolam Honorii tamquam *alienam ab Apoſtolicis dogmatibus ... eamque omnimodò abjeciſſe; & tamquam animæ noxiam execratam eſſe*: Igitur quæſtionem de ſenſu Epiſtolarum Honorii cenſuit Bellarminus inter controverſias facti particulares recenſendam, non inter quæſtiones juris: utpotè in quâ ſciret Synodum ſextam erraſſe.

Atqui eadem eſt ratio de ſenſu cujuſcumque libri, quæ eſt de ſenſu Epiſtolarum Honorii: Igitur quæſtiones vel dogmata de ſenſu cujuſcumque libri, non ſunt quæſtiones vel dogmata fidei.

Porrò ſi quæſtiones vel dogmata fidei non ſunt; quid erunt, niſi *controverſiæ facti particulares*, in quibus errare poſſe Concilium generale, aſſerit Bellarminus.

Poſt Synodum ſextam non credebamus opus eſſe exemplis aliis, ubi Concilia vel Pontifices in ejuſmodi quæſtionibus erraſſe oſtenderetur. Hinc *Supplicatio*, multa paucis complecti volens: " Eodem, inquit, fundamento
„ circà Honorii Litteras deceptos fuiſſe Leonem II. Adrianum II. & Syno-
„ dum VII. affirmat (Bellarminus) ibidem." De hoc paulò poſt fuſiùs; ubi priùs quædam alia diluerimus.

§. II.

§. II.

Reſpondetur ad ea, quæ de mente Eminentiſſimi Cardinalis Bellarmini objiciunt Supplicationis *Adverſarii.*

PRimùm, hanc eſſe ajunt inter quæſtionem de *Honorio*, & quæſtionem de *Janſenio* diſparitatem, "Quòd Concilium ex Epiſtolis Honorii judi-„caverit, animum ejus fuiſſe Hæreticum: Recentiores Pontifices de ſolo „libro, de ejus ſenſu & propoſitionibus ex eo decerptis judicarint, non de „animo Janſenii intento." Vide Defenſ. formulæ cap. 6. p. 28. Vide etiam *Nicoſtratum* Cont. 3. p. 19. Diſquiſ. Hiſtorico-Theol. cap. 12. pag. 150. & 151.

R. Synodo ſextæ injurioſum eſt hoc commentum: Si enim ex Epiſtolis Honorii judicaverit Synodus, animum ejus fuiſſe Hæreticum, temerarium prorſus de animo Summi Pontificis tulit judicium; nam ex Epiſtolis ejus, quas Catholicas eſſe Bellarminus tantoperè contendit, animum ejus Hæreticum perſpicere non poterat: Synodùm autem ſextam temerarium de animo ſummi Pontificis in cauſa Hæreſeos tuliſſe judicium, abſque inſigni in Synodum iſtam contumeliâ dici non poteſt. Hanc porrò contumeliam ſextæ Synodo irrogare voluiſſe Bellarminum, nova in Bellarminum contumelia eſt.

Nos & Synodum à judicio temerario, & Bellarminum ab iſtâ in Synodum contumeliâ liberamus, quando ex mente, ut putamus, Bellarmini Bellarminum ſic interpretamur: "Patres quidem illius Synodi deceptos ex „falſis rumoribus, & non intellectis Honorii Epiſtolis, immeritò cum Hæ-„reticis connumerare Honorium:". Non tamen propter eà temerarium de ipſius animo tuliſſe judicium; ſed judicio de animo Honorii Deo relicto, judicaſſe *ex falſis rumoribus* (quos per errorem facti veros putabant) & *non intellectis Honorii Epiſtolis* (quas ex ſimili errore ſe intelligere credebant) iudicaſſe, inquam, externa omnia eſſe ejuſmodi, ut Hæreſeos ſpeciem apertè præ ſe ferrent: etſi interim non ignorarent, externâ illâ ſpecie ſe poſſe decipi, & Hæreticum indè animum minimè probari.

Et ſanè nil attinebat ad Synodum ſextam de Honorii animo, qui nulli nocere poterat, judicare; præſertim cum jam dudum defunctus eſſet Honorius: ſed hoc ſolùm illi curæ erat, ut condemnarentur, quæ adhuc ſupererant, Honorii Epiſtolæ, à quibus erat pernicies metuenda.

Itaque concludimus ex mente Bellarmini, potuiſſe Patres Synodi VI. malè intelligere Honorii Epiſtolas, eaſque ut Hæreticas condemnare: ac proindè & errare poſſe Eccleſiam in ſenſu alicujus libri definiendo.

At

„ At diſparitas iterum luculenta eſt, ait *Defenſor formulæ* cap. 6 pag 28.
„ Epiſtolas Honorii latinè ſcriptas fuiſſe, Concilium autem ſextum, utpo-
„ tè græcum, tuliſſe ſententiam de verſione græca. Quàm facilè autem
„ fieri potuit, ut Tranſlator mentem Honorii & Epiſtolarum ſenſum aſſe-
„ cutus non ſatis fuerit, vel malitioſè corruperit." Addit deindè pag. 29.
UNIUS *teſtimonio perſuaſum fuiſſe Synodo*, interpretationem eſſe fidelem.

Accinit Socio ſuo *Nicoſtratus* Contentione 3. p. 21. & 22. "Fortè in-
„ quit, Interpres Honorii mentem haud ſatis aſſecutus eſt ob ſubtilioris quæ-
„ ſtionis inſcitiam, fortè infidus fuit, fortè malevolus, fortè Honorio oc-
„ cultè inimicus, & ut aliquam ipſius nomini labem apud Græcos aſperge-
„ ret, Monothel ſmum ſuâ ſponte & deditâ operâ inſeruit. Quid plura?
„ Nonnè iſta omnia perſuadent Patres VI. Synodi facilè potuiſſe decipi?
„ Patribus autem in hunc modum deceptis, quis non videat librum etiam
„ optimum, & ſanctiſſima quæque Religionis noſtræ complexum My-
„ ſteria proſcribi poſſe tamquam impium, tamquam Hæreticum, qui verè
„ pius ſit, verè Catholicus."

Injurioſum rurſus ſextæ Synodo commentum! Quaſi Synodus iſta generalis unius Tranſlatoris fide ſteterit; & in toto Concilio fuerit nemo, qui poſſet de ſincerâ tranſlatione judicare. Siccinè procederet Synodus generalis? Siccinè procederet, ubi agitur de condemnando ſummo Pontifice? Siccinè, ubi vel abſolvendus vel condemnandus de Hæreſi ſummus Pontifex? Siccinè unius Tranſlatoris fide, *fortè indocti*, *fortè infidi*, *fortè malevoli*, *fortè Honorio occultè inimici*, Synodus ſexta generalis Pontificem Hæreticum declararet? Nefas credamus, vel de homine quovis privato ſuſpicari, quod fide tam levi nixus Hæreticum putaret de vulgo aliquem: Et ſuſpicabitur *Nicoſtratus*, quod ipſa Synodus generalis tam leviter Hæreticum, non putaverit modò, ſed & declaraverit ſummum Pontificem Honorium?

Neque ſolum injurioſum eſt ſextæ Synodo iſtud commentum: Sed & Conciliorum Latinorum de ſcriptis græcis, & Græcorum de latinis, & Latinorum Græcorumque ſimul de Hebraicis, Arabicis, aut quovis alio peregrino idiomate editis, decreta evertit. Si enim juxtà *Nicoſtratum* in definiendo ſenſu Epiſtolarum Honorii ideò erraverit ſexta Synodus, quòd Græca fuerit, Epiſtolæ autem Honorii latinæ, quas legere ac intelligere non potuerit niſi tranſlatas: cur mihi eodem jure dicere non liceat, erraſſe paſſim Concilia generalia omnia, cum de ſcriptis vel libris, alio idiomate editis, ſententiam tulerunt?

Ecquid, *Nicoſtrate*, ad Editionem vulgatam, quam Authenticam eſſe declaravit Synodus Tridentina? Vereor, nè eodem argumento eam rejicias: Neque enim conſtat, originales linguas parti ſaltem maximæ Patrum Tridentinorum ſic notas fuiſſe; ut de fideli tranſlatione judicarent.

Quid denique ad prohibitionem librorum, qui vario idiomate, Latino, Italico, Hiſpanico, Gallico, Germanico, Flandrico, &c. conſcripti ſunt? Debeinè has omnes linguas noſſe, qui libros prohibet?

Sed vide inſignem temeritatem tuam, qui affirmas unius Tranſlatoris fide nixam eſſe ſextam Synodum, cum interfuerint Synodo illi Latini non pauci, quos petente Conſtantino Imperatore, miſerat Agatho Pontifex. Cum enim Imperator rogaret Agathonem, ut OEcumenicum Concilium Conſtantinopoli cogeretur; annuit Pontifex, & habitâ Romæ Synodo centum & viginti Epiſcoporum, Legatos, qui ejus nomine Concilio præeſſent, Conſtantinopolim quatuor miſit, *Theodorum* & *Georgium* Presbyteros, *Joannem* Diaconum, & *Conſtantium* Hypodiaconum. Convenerunt ad eandem Synodum *Joannes* Portuenſis, *Abundantius* Paternenſis, & *Joannes* Rhegienſis Epiſcopi, nomine Romanæ illius Synodi ſub Agathone; & cum iis *Theodorus* Presbyter, loco Theodori Ravennatis Epiſcopi: Præter hos interfuêre Monachi plures, Latini utique, & ex Occidente miſſi. Et poſt hos omnes, UNIUS *teſtimonio*, *formulæ Defenſor*, & unius Tranſlatoris fide, *Nicoſtrate*, nixa eſt ſexta Synodus? Numquam hoc aſſereretis tam temerè, ſi Hiſtoriam, actaque Synodi ſextæ vel vidiſſetis: Quare nunc ſaltem ea, ut legatis ſedulò, ſuademus.

Supereſt effugium tertium, cujus ſpero tandem fore Authores ſuos ut pudeat, cum ex ipſis Synodi verbis illud ſibi manifeſtè præcluſum eſſe ſenſerint." Denique, ait *Defenſor Formulæ*, evidentiſſima inter condem-,, nationem Honorii, & eam, quæ à nobis controvertitur, eſt diſparitas, ,, quòd nullus Honorii liber, nulla Epiſtola, nulla propoſitio Hæreſios ,, condemnata ſit, ſoli perſonæ hæc macula aſperſa." Cap. 6. p. 33. Vide etiam Nicoſt. Cont. 3. p. 18. & 19.

Confutet hæc pro nobis, & confundat verbis ſuis ipſa Synodus: *Retractantes dogmaticas Epiſtolas, quæ tamquam à Sergio . . . . . ad Honorium quondam Papam antiquæ Romæ: ſimiliter autem & Epiſtolam, ab illo, id eſt, Honorio reſcriptam ad eundum Sergium*, HASQUE INVENIENTES OMNINO ALIENAS EXISTERE AB APOSTOLICIS DOGMATIBUS, ET A DEFINITIONIBUS SANCTORUM CONCILIORUM, ET CUNCTORUM PROBABILIUM PATRUM, SEQUI VERO FALSAS DOCTRINAS HÆRETICORUM, EAS OMNIMODO ABJICIMUS, ET TANQUAM ANIMÆ NOXIAS EXECRAMUR. Act. 13.

Eat nunc *Defenſor Formulæ*, & dignam temeritatis ſuæ pœnam ab ipſâ Synodo reportet.

En igitur hic confutata commenta tria: quorum duo in Sanctam Synodum contumelioſa ſunt; alterum manifeſtæ veritati contrarium. Et horum Authores ſunt, qui hic audent nos ſplendidiſſimorum mendaciorum arguere: quæ calumnia nunc diluenda eſt.

§. III.

§. III.

Diluitur Calumnia, quâ de ſplendidiſſimis mendaciis arguuntur Supplicationis *Authores, & in ipſos Calumniantes Calumnia retorquetur.*

POſtquam Bellarminus de Rom. Pontif. lib. 4. Cap. 2. docuiſſet, *Summum Pontificem, cum totam Eccleſiam docet, in his quæ ad fidem pertinent, nullo caſu errare poſſe*; Capite 7. & ſequentibus adverſus hanc doctrinam varia ſibi objicit: & Capite tandem 11. Honorium primum à multis dici fuiſſe Hæreticum; inter cætera autem argumentum ab ipſis afferri è Synodo ſextâ Act. 13. "Ubi, aiunt, damnatur Honorius tamquam Hæreticus, & com„ buruntur ejus Epiſtolæ, & in ſequentibus Actionibus repetitur ejus dam„ natio."

Ad objectionem reſpondet Bellarminus, *In Epiſtolis iſtis Honorii nullum contineri errorem*; Quod deindè fusè probare conatur ex ipſis verbis Honorii.

Ad argumentum verò petitum è Synodo ſextâ, quæ Honorium & Honorii Epiſtolas damnavit, reſpondet primum, *Sine dubio Honorii nomen inter eos, qui damnantur à VI. Synodo, inſertum eſſe ab æmulis Romanæ Eccleſiæ. & ſimiliter quidquid aliud ibi dicitur contra Honorium.* Id rurſus oſtendere nititur multis argumentis.

Sed quoniam ſciebat per hæc non omnibus perſuaſum iri, Synodum VI. corruptam fuiſſe; aliam ſolutionem ſuggerit in hæc verba: *Quod ſi aliquis adhuc non poſſit adduci, ut credat corruptam eſſe VI.Synodum: is accipiat alteram ſolutionem, quæ eſt Joannis à Turrecremata, lib. 2. de Eccleſia, cap. 3. qui docet, Patres VI. Synodi damnaſſe quidem Honorium, ſed ex falsâ informatione, ac proindè in eo judicio erraſſe Quamvis enim generale Concilium legitimum non poſſit errare, ut neque erravit hoc ſextum, in dogmatibus fidei definiendis, tamen errare poteſt in quæſtionibus de facto. Itaque tutò dicere poſſumus hos Patres deceptos ex falſis rumoribus, & non intellectis Honorii Epiſtolis, immeritò cum Hæreticis connumeraſſe Honorium.*

Deinde & reſpondet ad alia argumenta: inter quæ "Tertium eſt, inquit, „ ex VII. Synodo Act. ult. ubi totum Concilium dicit Anathema Honorio.

„ Quartum ex VIII. Synodo Act. 7. ubi legitur & probatur Epiſtola „ Concilii Romani ſub Adriano II. ubi Pontifex cum Concilio aſſerit, fuiſſe „ Honorium judicatum poſt mortem à Concilio VI. quia de Hæreſi accuſa„ tus fuerat."

"Sextum, ex Leone II. qui in Epiſtola ad Conſtantinum Imperatorem,

„ quæ habetur ad finem Concilii VI. eundum Honorium execratur, tamquam
„ qui Sedem Apoſtolicam ſuâ Hæreſi contaminârit."

Ad hæc duplicem etiam, ut ſupra, pro duplici de Synodo VI. ſententia ſuggerit ſolutionem.

Nam, ſi Synodus ſexta, ut ipſe putat, corrupta ſit; reſpondendum eſt ad tertium, Patres VII. Synodi ſecutos eſſe Synodum ſextam corruptam: ſi corrupta non ſit, *ſecutos illos eſſe Synodum ſextam errantem.*

Ad quartum ſimiliter, ſi Acta VI. Synodi corrupta ſint, Adrianum deceptum fuiſſe ex depravatis illis Actis VI. Synodi: ſi corrupta non ſint, retuliſſe ipſum ſententiam à Synodo errante latam in Honorium.

Ad ſextum iterum, ſi Synodus ſexta corrupta ſit, corruptam etiam eſſe Epiſtolam Leonis: ſi corrupta non ſit, *Leonem ſecutum eſſe judicium Legatorum Agathonis*, qui in ſexta Synodo in damnationem Honorii conſenſerant.

Hæc quoniam opus eſſe non credebamus fusè referre, breviter indicavimus in *Supplicatione* his verbis: *Eodem fundamento circa Honorii litteras deceptos fuiſſe Leonem II. Adrianum II. & Synodum VII. affirmat* (Bellarminus) *ibidem:* Quo nihil aliud ſignificatum voluimus, quam à Bellarmino Capite 11. affirmari, Leonem II. Adrianum II. & Patres Synodi VII. ſecutos eſſe judicium Synodi ſextæ: adeóque eodem fundamento, quo Synodus VI. ſi corrupta non ſit, circa Honorii litteras erraverat, ipſos etiam eraſſe.

Hic nos *perfidiæ* arguit *Defenſor Formulæ* Cap. 6. p. 29. & *in duabus Supplicantium lineis plura mendacia ſplendidiſſima ſe detexiſſe gloriatur.* Ibid. pag. 31. NICOSTRATUS verò inſolentiſſimè *impoſturam Janſeniſtarum* clamat *inſignem ac palmare mendacium.* " Se totum illum locum, hoc eſt, lib 4. de Pont.
„ tif. cap. 11. volviſſe & revolviſſe ſæpius, nil tale reperire. Sic facere nos
„ Bellarminum ea dicere, quæ ne ſomniavit quidem. Eſſe nos homines neſ-
„ cio quos ex fraude, & mendacio conſutos." Cont. 3. p. 23. Et rurſus: *Quid*, inquit, *tandem erit mendacium dicere, ſi hoc non eſt?* Addit, "ubique
„ mentiri nobis ſolemne eſſe, ita ut in nos optimè quadret illud Sybilli-
„ num carmen:

" ψεῦςαι, ἀπιςόχοροι, κακοπράγμονες, οὐδὲν ἀληθεῖς

" *Abſque fide, ſcelerati, & numquam vera loquentes.*

„ Ridendos nos eſſe, quod in illa ipſa *Supplicatione*, in qua juramentum depre-
„ camur propter mendacii ac perjurii periculum, *tam ſplendidè tamque im-
„ probè mentiamur.* Sed non nos ſollicitare irriſiones hominum; ſcire ſe, frontem
„ nos habere meretriciam, neſciam erubeſcere." Ibid pag 24.

Atque hæc omnia in nos congerunt non ob aliud, quam quod dixerimus, à Bellarmino lib 4. de Rom. Pontif Cap. 11. affirmari, eodem fundamento, quo decepta fuit Synodus VI. circa Honorii litteras, deceptos fuiſſe Leonem II. Adrianum II. & Synodum VII. Nos nè mendacii quidem ſpeciem in eo depre-

deprehendimus: Leonem II. Adrianum II. & Patres Synodi VII. ſecutos eſſe errorem Synodi ſextæ affirmat Bellarminus capite citato; quo fundamento ſecuti ſint, non videmus; niſi eodem, quo Synodus ſexta erraverat.

Quare judicate, Reverendiſſimi Antiſtites, an in ipſorum Calumniantium & conviciantium Caput non recidant calumniæ & Convicia, quæ in nos tam iniquè contorquent. Nobis conviciari non libet: ſufficit oſtendiſſe, juxta Bellarminum potuiſſe Synodum ſextam in definiendo ſenſu litterarum Honorii errare: proindè quæſtionem, quâ quis libri alicujus ſenſus ſit quæritur, juxta Bellarminum eſſe *controverſiam facti particularem*, in quâ errare poſſe Eccleſiam Vir Eminentiſſimus non dubitat.

§. IV.

Examinatur locus Baronii, quem adduxerat Supplicatio, *& oſtenditur ſolidè ex illo probatum eſſe, Eccleſiam falli poſſe in ſenſu alicujus libri definiendo.*

S*Upplicationis* verba hæc ſunt: "Baronius ad annum 681. n. 29. & 30. „ poſtquam contendiſſet Honorium Hæreticum non fuiſſe, objicit ibi „ Synodum ſextam, in qua tamquam Hæriticus fuerat condemnatus. *Sed* „ *dicat quis*, ait: *Si verè aſſentimur ita de Honorio eſſe decretum à Sanctâ* Oecu- „ *menica Synodo, haud fas erit in controverſiam rem deducere, & aliter, quam* „ *ſtatutum eſt à Synodo, velle decernere.*

„ Reſpondet: *Id ipſum dixerim in iis quæ ad fidem ſpectant: ut planè religio* „ *ſit, vel latum unguem ab iis, quæ in Sancta Synodo ſunt ſtatuta, recedere. At* „ *in iis quæ ad perſonas pertinent, & ſcripta ipſarum, non ita rigidè reperitur cuſto-* „ *dita cenſura.*"

Ex his colligendum relinquebat *Supplicatio*, poſſe juxtà Baronium falli Eccleſiam in ſenſu alicujus ſcripti vel libri definiendo: nam *in iis*, ait, *quæ ad perſonas pertinent &* Scripta *ipſarum, non ita rigidè reperitur cuſtodita cenſura.* Nunc illud rectè ex iis colligi poſſe, paulò fuſius probandum eſt.

Itaque Baronius ad annum 681. ut ab Hæreſi purget Honorium, dicit, Acta Synodi ſextæ, in qua de hæreſi condemnatur, corrupta fuiſſe. Sed hoc quoniam noverat non ab omnibus receptum iri: ſupponit etiam num. 29. Acta illa incorrupta ſervata; at ne ſic quidem Honorium Hæreticum probari. Rationem hanc adfert: "Quod Honorius non aliundè „ ſit condemnatus Hæreticus, quam quod ejus prior Epiſtola ad Sergium „ ſcripta hæretica fuerit exiſtimata: Atqui conſtat illam eſſe orthodoxam; & „ proindè Synodum ſextam, tum in condemnando Honorio, tum in con-

„ demnanda ejus Epiſtola erraſſe: ergo etiamſi Acta Synodi ſextæ incor- „ rupta ſint, Honorius tamen non probatur fuiſſe Hæreticus." In hunc ſenſum Baronius.

Tum ſibi objicit num. 30. "*Sed dicat aliquis, ſi verè aſſentimur ita de Honorio eſſe decretum à Sanctâ OEcumenicâ Synodo, haud fas erit in controverſiam rem deducere, & aliter quam ſtatutum eſt à Synodo, velle decernere.*

Reſpondet, *Id ipſum dixerim in iis quæ ad fidem ſpectant: ut planè religio ſit vel latum unguem ab iis, quæ in Sanctâ Synodo ſunt ſtatuta, recedere: at in iis quæ ad* PERSONAS *pertinent &* SCRIPTA *ipſarum, non ita rigidè reperitur custodita cenſura.*

Manifeſtum eſt à Baronio diſtingui *perſonas* & *ſcripta:* idque ab eo fieri neceſſe erat, ſi vellet Honorium eâ ratione, quâ cœperat, ab Hæreſi purgare. Cœperat enim eum purgare hâc ratione, quòd non aliundè fuiſſet condemnatus ut Hæreticus, quam quod prior ejus Epiſtola ad Sergium exiſtimata fuiſſet Hæretica: in quo judicio cum decepta fuerit Synodus ſexta; deceptam etiam illam fuiſſe ait circà perſonam Honorii; cum judicium de perſona non alio fundamento, quam judicio falſo de ſcriptis ipſius, niteretur. *Tantum enim*, ait, *poſſibile erit, ut ipſe qui Catholicus ſemper fuit, dici poſſit Hæreticus, quantum ut verè Catholica ab eo aſſerta doctrina, ex qua ponitur damnatus hæreticus, eadem dici poſſit hæretica:* Atqui dici non poteſt hæretica juxta Baronium, etſi talis dicta ſit à Synodo ſexta: Ergo nec Hæreticus juxta Baroninm dici poteſt Honorius, etſi talis à Synodo ſexta dictus fuerit.

Nec movet ipſum, quod objicitur, errare non potuiſſe Synodum ſextam, utpotè OEcumenicam: Nam etſi errare non potuerit in iis quæ ad fidem ſpectant; errare tamem potuit in iis quæ ad perſonam Honorii pertinent, & ſcripta ipſius; adeóque & potuit Epiſtolam ipſius, quæ eſt Catholica, Hæreticam putare, & ex illa ipſum Honorium de Hæreſi condemnare.

Proſequitur ex Baronio *Supplicatio*, & exemplo quintæ Synodi rem confirmat. "*Nam patens*, ait, *exemplum eſt de quinta Synodo, quæ tria Capitula* „ *condemnavit, de quibus à Sacroſancto Chalcedonenſi Concilio videri poterat ali-* „ *ter actum, nempè de Theodoro, Theodoreto* &c.

„ Rationem ſubjungit: *In his enim, quæ facti ſunt, unumquemque contingere* „ *poſſe falli, nemini dubium eſt.*"

Hæc tam aperta eſſe credebamus, ut opus non eſſet ex iis concludere, poſſe juxta Baronium errare Eccleſiam in ſenſu alicujus libri definiendo. Si enim juxta ipſum in ſenſu trium Capitulorum condemnando errare potuit Synodus V. quis non evidenter ſequi intelligat, idem poſſe & in aliorum librorum ſcriptorumque ſenſu definiendo contingere.

Non minùs perſpicuum eſſe credidimus, inter quæſtiones facti, in quibus

errare

errare poſſit Eccleſia, recenſeri à Baronio quæſtionem, quâ quis libri alicujus ſenſus ſit quæritur : nam in Synodo V. non ſolum perſonas condemnatas eſſe, ſed & ſcripta earum, ignorare non potuit Baronius, ſi vel Synodum illam inſpexerit.

Collatione IV. exclamat Synodus: *Anathema Theodoro & conſcriptis ejus. Hæc aliena Eccleſiæ ſunt ; Hæc aliena Orthodoxis ſunt ; Hæc aliena Patribus ſunt, &c.*

Can. XIII. Sic damnat ſcripta *Theodoreti : Si quis defendit impia Theodoreti conſcripta .... & non anathematizat ea .... talis Anathema ſit.*

Epiſtolam *Ibæ* ſic condemnat Can. XIV. *Si quis defendit Epiſtolam, quam dicitur Ibas ad Marim Perſam Hæreticum ſcripſiſſe.... & non Anathematizat eam .... talis Anathema ſit.*

Ex quibus, ut dubium amplius ſupereſſe nulli poteſt, quin de ſcriptorum ſenſu Synodus V. judicaverit : ita nec ambigere cuiquam licet amplius, quin quæſtionem de ſenſu alicujus libri vel ſcripti inter quæſtiones facti reputet Baronius. *In his* autem, *quæ facti ſunt, unumquemque contingere poſſe falli, nemini dubium, eſt,* ait ex Cardinali loco ſuprà citato *Supplicatio.* Addimus lubenter, quòd *callidè* nos omiſiſſe dicit *Defenſor formulæ* : " Et tunc illud Pauli ad Corinthios uſurpari poſſit: *Non enim poſſu- „mus aliquid adversùs veritatem, ſed pro veritate.*

Videamus, an adverſùs hæc invenire aliquid potuerint Supplicationis Adverſarii.

§. V.

Reſpondetur quibuſdam Cavillis circà locum Baronii.

MIrum, quomodò in explicando Baronio ſe torqueant *Supplicationis* Adverſarii, ut illum nobis extorqueant.

" Fatemur, ait Defensor *formulæ*, non ita rigidè cuſtoditam, nec „ cuſtodiendam eſſe cenſuram, quâ vel homini facta quædam imputen„ tur, vel tribuuntur quædam ſcripta, quæ ſubindè illius non ſunt, ſed „ ſuppoſita ; vel ſcripta condemnantur in ſenſu Authoris intento, ita ut „ propter ſcripta cuipiam Anathema dicatur, qui fortè ſine pertinaciâ, vel „ etiam ſine gravi culpâ formali hæc ſcripſerit " Cap. 6.

Nicostratus Content. 4. hæc habet : " Quod inſinuat præclarus ille „ ſcriptor, Concilium falli poſſe *in iis, quæ ad perſonas* pertinent, iſtud nihil „ omninò ſupplicantes juvat.... At ve ò annexa illa verba, ET SCRIPTA IP„ SARUM, locum efficiunt duriuſculum. Itaque ſcholaſtico ritu rurſus illa „ diſtinguo : *In iis quæ ad perſonarum ſcripta pertinent*, falli poteſt OEcume„ nica Synodus, ſcripta aliis attribuendo atque veris Authoribus, vel etiam

„ inte-

„ interiorem perſonarum ſcribentium ſenſum ſeu judicium non aſſequen- „ do. Aſſentior .... In iis, quæ ad perſonarum ſcripta pertinent, falli po- „ teſt OEcumenica Synodus, ſcriptionis aut libri perperàm ſenſum intelligen- „ do, & ſic intellectum damnando aut approbando. Nego.'

Disquisit o *Hiſtorico-Theologica* Cap. 12. " Reſpondeo, ait, ut ſupra, „ Concilia abſolutè loquendo errori eſſe obnoxia, ſi ex tribus Capitulis de „ interna Authorum opinione hæreticâ vel Catholicâ judicium ferant &c.

Quam indigni Theologis cavilli! Videntur prorſus Synodum V. & Baronium non vidiſſe, qui talia afferunt.

Non diſputabatur in Synodo V. quinam eſſent trium Capitulorum Authores (nam de Authoribus conſtabat,) Non quis fuiſſet ſcribentium ſenſus interior: ſed de ipſorum Capitulorum ſenſu erat quæſtio; & hunc, ut § ſuperiori vidimus, Synodus V. condemnabat.

Quod etſi non ignoraret Baronius, dicit tamen Synodum V. in eâ quæſtione errare potuiſſe: nam etſi errare non poſſit Synodus OEcumenica *in iis quæ ad fidem ſpectant*; tamen *in iis quæ ad perſonas pertinent &* SCRIPTA IPSARUM, *non ita rigidè reperitur cuſtodita cenſura. Patens exemplum eſt in quinta Synodo, quæ tria Capitula condemnavit.*

Non ſufficit *Nicoſtrato* tam fœdâ interpretatione Baronium lacerare; niſi & Virum Eminentiſſimum, cum eum in partes ſuas trahere non poſſet, injuria laceſſeret. " Baronius, inquit, erat totus in defenſione Honorii ..... Igitur nihil mirum eſt ... verbum elapſum eſſe duriuſculum."

Nec Baronium ſolum aggreditur; ſed & ſanctos Patres: " An neſcis, ait, „ hoc contigiſſe etiam ſanctis Patribus, cum adverſùs Eccleſiæ hoſtes „ pugnam conſererent? .... Quod ſi tales ac tanti Viri præ nimio expug- „ nandi Adverſarios ardore propenderint in errorem contrarium, quid mi- „ rum eſt, ſi Baronius, cum ad Honorium defendendum diceret, non „ ita rigidè cuſtoditam cenſuram eſſe *in iis quæ ad perſonas pertinent*, ad- „ junxerit aliquid ampliùs, minùs volens intelligi?

" Phil. Si Baronius minùs voluerit intelligi, quàm reverà dixit, qua- „ re attulit exemplum quintæ Synodi? *Patens*, ait, *exemplum eſt de quin- „ tâ Synodo quæ tria Capitula condemnavit &c.*

„ Nic. Quidni hoc etiam potuit proficiſci ex incitatiſſimo impetu pro- „ tegendi Honorium?"

Hæc eò libentiùs è *Nicoſtrato* deſcribimus, quòd nihil putemus ad vindicandum nobis Baronium efficacius poſſe afferri.

Nam apertè ſatis concedit *Nicoſtratus*, Baronium nobis verbis conſentire: quamquam putet eum diſſentire mente, *dum minùs voluit intelligi, quàm reverà dixerit.*

Sed

Sed mentem Baronii, nullis verbis aut ſignis expreſſam, & in mente tantum *Nicoſtrati* latentem habeat ſibi cum ſuis *Nicoſtratus*: Nos verba Baronii, & ex verbis Baronii mentem, totumque adeò Baronium nobis aſſerimus; Donec Baronium minùs voluiſſe intelligi, quàm dixit, *Nicoſtratus* probaverit.

§. VI.

Rectè in Supplicatione *allegatur authoritas Cardinalis Pallavicini.*

VErba Pallavicini, lib. 7. c. 14. quæ allegat *Supplicatio*, ſunt hæc: *Si authoritas innoxia intelligitur in fidei morumque deciſionibus, ea ſanè Romano Pontifici tribuitur, non à ſolis Canonum peritis, ſed à Theologis graviori pleniorique concordiâ.... In aliis rebus, quæ ad rem geſtam, vel ad jus humanum pertinent; quinam ſunt inter Canonum Interpretes, negantes errori Pontificem ſubjacere?*

Ex quibus ſic argumentari licet: "Poteſt juxtà Pallavicinum Pontifex „errare in iis rebus, *quæ ad jus humanum pertinent*:" Atqui ad jus humanum pertinent quæſtiones de ſignificatione, quam voces ex inſtitutione, uſu, vel conſuetudine habent; nam voces non à Deo, ſed ab hominibus ad hoc illudve ſignificandum inſtitutæ vel receptæ ſunt; & regulæ, juxtà quas de illarum ſignificatione judicandum eſt, non jure aliquo divino & revelato, ſed jure humano continentur, uti ſuprà cap. 2. oſtenſum eſt fuſius: Poteſt igitur juxtà Pallavicinum Pontifex in definiendo ſenſu alicujus libri errare.

Pluribus opus non eſt, ut vindicemus nobis PALLAVICINUM: Supereſt, ut & Eximii atque ampliſſimi Viri STEJARTII, quæ in *Supplicatione* ex Aphporiſmis ipſius allegata ſunt, verba rectè nos adverſùs ipſum in rem noſtram allegaſſe oſtendamus.

§. VII.

Locus Eximii atque Ampliſſimi Viri Stejartii, *citatus in* Supplicatione, *ſolidè probat, errare poſſe Eccleſiam in ſenſu alicujus libri definiendo.*

LOcus deſumptus eſt ex Aphoriſmis ipſius, parte 2. Diſput 18. num. XIII. & eſt hujuſmodi: *Alia, in quibus eadem infallibilitas deficere poteſt, ſunt quædam quæ non* FIDEM *olim* REVELATAM, *ſed* FACTA *particularia nihil*

ad

ad eam facientia concernunt: ut quod Joannes vel Petrus malè aut benè ſenſerit &c. in quibus nè ipſa quidem Eccleſia in generali Concilio congregata, irreformabili certitudine judicat. Eſto enim in his vel Sedes Apoſtolica vel ipſa Eccleſia malè judicaret; non ideò iis portæ inferri prævalerent.

Ex his ſine magno labore colligere quiſque poterat, quòd inſinuat *Supplicatio*, errare poſſe Eccleſiam in ſenſu alicujus libri, puta Janſenii, definiendo.

Nam ſi Eccleſiæ infallibilitas deficere poſſit in iis, quæ NON FIDEM OLIM REVELATAM, SED FACTA PARTICULARIA NIHIL AD FIDEM FACIENTIA CONCERNUNT: certiſſimum eſt, eam deficere poſſe in definiendo ſenſu Janſenii; cum certiſſimum ſit, OLIM REVELATUM non fuiſſe adeóque ad FIDEM OLIM REVELATAM ſpectare non poſſe, quis ſit ſenſus Janſenii; & præterea factum iſtud, ſitne hic an ille ſenſus Janſenii, *Factum particulare* ſit, ad nullos aut certè ad paucos pertinens; nihilque *ad fidem faciat* vel mores, an bene an malè ſcripſerit Janſenius. Etenim modò quis omnes fidei & morum articulos profiteatur, damnetque ſincerè omnes hæreſes & errores, ubicumque exiſtant, etiam in Janſenio; nullum prorſus periculum vel detrimentum fides vel mores pati poſſunt, etſi ignoretur penitus, an Janſenius, fidem Catholicam, an hæreſim docuerit.

Deindè poteſt Sedes Apoſtolica vel ipſa Eccleſia in definiendo ſenſu Janſenii deficere: quia *eſto* in hoc *malè judicaret, non ideò iis portæ inferi prævalerent.* Non enim portæ inferi prævalent Eccleſiæ, quamdiu in articulo aliquo fidei vel morum Eccleſia non deficit: Non deficit autem, quamdiu omnes fidei & morum articulos tuetur; etſi ſimul ex errore facti Hæreſim aliquam in libro, ubi non continetur, contineri exiſtimet.

Non ignoramus quidem, Virum illum Eximium ſubjunctis mox verbis ſignificare, aliter ſe ſentire *de facti quæſtione* tam celebri circa ſenſum *Baii* vel *Janſenii*: ſed non ideò non debuimus ex ipſiuſmet principiis doctrinam noſtram confirmare; & quid juxta ſua aliorumque paſſim Theologorum principia tenere deberet, oſtendere.

Neque redargui poſſumus, quaſi in citando ipſo minus ſinceri fuerimus, quem ex ſubjunctis mox verbis ſciremus à doctrinâ noſtrâ diſſentire: nam non aliud, quàm verba ipſius ſincerè citavimus; ex his per conſequentias ſolidas doctrinam noſtram deduximus; ipſum nobiſcum ſentire non aſſeruimus; ſed ſentire juxta ſua principia nobiſcum debere, colligendum reliquimus.

Nè quis tamen fortè circa mentem ipſius falleretur, ipſe palam ſcriptum edidit, hoc titulo: DECLARATIO MENTIS M. STEJARTII *Vicarii Gen. Apoſtolici Sylvæ-Ducenſis ſuper hodierno negotio formularis: contrà ea quæ vel ſecus publicantur vel publicari poſſunt*: Ubi primum ex Aphoriſmis ſuis

ponit ea, quæ citat *Supplicatio:* Deinde ſubjungit alia in *Supplicatione* omiſſa; quibus mentem ſuam de *facti quæſtione* circa ſenſum *Baii vel Janſenii* declarat: Denique compendio repetit dicta de *formulari*, & prælecta in DISPUTATIONIBUS *publicis* die 29. &31. Martii 1692.

Etſi, quæ in hâc *Declaratione* dicuntur, ſatis refelli poſſint ex iis, quæ tum in *Supplicatione* noſtrâ priori, tum in *Altera* hâc *Apologetica* diſputamus; tamen ne quid præteriſſe aut contempſiſſe videamur, quod reſponſum poſtulat; ea, quâ ſupplices decet, brevitate Declarationem totam peſtringemus.

§. VIII.

Confutantur argumenta, quibus in DECLARATIONE Mentis *ſuæ Eximius* STEJARTIUS *contendit, potuiſſe Eccleſiam, quis ſit ſenſus Janſenii, definire judicio infallibili.*

„ SEd quid, ait Vir Eximius, de facti quæſtione tam celebri circa ſenſum „ Baii vel Janſenii? ℞. Idem quod de quæſtione circa *ſenſum Auguſtini* „ In libris v. g. de bono perſeverantiæ, Correptione & gratia, Prædeſtina„tione Sanctorum: idem quod de ſenſu *Canonum* in *Tridentino* Condito„rum: Idem denique quod de ſenſu trium Columnarum Innocentio X. obla„tarum à Theologis, qui V. Propoſitiones ſimpliciter damnari nolebant. „ Potuêre Pontifices doctrinam gratiæ approbare in ſenſu Auguſtini, prout „ in libris jam dictis continebatur: potuit approbare Eccleſia dogmata, prout „ extant in *Canonibus Tridentini*: Denique poterat Innocentius damnare V. „ Propoſitiones in ſenſu alicujus ex *columnis* tribus. Quidni igitur poſſit dam„nari vel etiam approbari doctrina aliqua in *ſenſu Baii* vel *Janſenii*? Sanè ſi „ *approbata* fuiſſet, nemo hodiè ex illis, qui reclamant, non recepiſſet hoc „ judicium ut *infallibile*."

Hic ſiſtamus paulliſper, & diſcutiamus ſingula.

STEJARTIUS. "Sed quid ergo de *facti quæſtione* tam celebri circà ſen„ſum *Baii vel Janſenii*?"

℞. Aptius objeciſſet ſibi: Sed quomodo hoc, quòd dixi, Eccleſiam errare poſſe in iis, *quæ non* FIDEM *olim* REVELATAM, *ſed* FACTA *particularia nihil ad eam facientia concernunt*, quomodò, inquam, hoc conſiſtit cum alterâ meâ opinione, quâ aſſero, Eccleſiam errare non poſſe in definiendo ſenſu Baii vel Janſenii? Cum & quæſtio illa ad *fidem olim revelatam* non ſpectet, & *quæſtio facti* ſit, ut ipſe profiteor; *Particularis* utique & *ad fidem nihil faciens*?

Si ſic ſibi objeciſſet, ſpes erat fore, ut contradictoria ſe loqui adverteret,

ret, & ſententiam mutaret: Sed quoniam fixum illi erat non mutare ſententiam; nihil cogitans ſtudet inter ſe contradictoria conciliare. Hinc nil obſcurius, nil intricatius iis, quæ ſequuntur; ut vel ipſe ſe ſuâ obſcuritate decipiat. "Quid ergò *de quæſtione facti tam celebri?*

Stej. "Idem quod de quæſtione circà ſenſum Auguſtini in libris v.g. de bo-„no perſeverantiæ, de correptione & gratiâ, de prædeſtinatione Sanctorum."

℞. Reſpondere debuiſſet: "Etſi errare poſſit Eccleſia, ut jam dixi, in „iis, *quæ non fidem olim revelatam, ſed facta particularia nihil ad eam facien-„tia concernunt:* Errare tamen non potuit in quæſtione circa ſenſum Janſe-„nii; ſicut olim errare non potuit in quæſtione circà ſenſum Auguſtini, in „libris v. g. *de bono perſeverantiæ, de correptione & gratiâ, de prædeſtina-„tione Sanctorum*, quem definivit; vel certè quem definire potuit, & po-„teſt hodiédum."

Hactenùs Theologorum nullus aſſeruit, definitum eſſe ab Eccleſiâ, vel ſummis Pontificibus, qui opuſcula S. Auguſtini de gratiâ approbârunt, quis S. Auguſtini ſenſus ſit in illis opuſculis.

Et ſanè nil cauſæ erat, cur id definirent Pontifices; cum nulla de ſenſu Auguſtini quæſtio moveretur.

Nam etſi multæ & graves controverſiæ ex doctrina Auguſtini de gratiâ occaſionem ſumpſerint; non tamen indè ortæ ſunt, quod alii alio ſenſu Auguſtinum intelligerent; ſed quod doctrinam, quam omnes Auguſtini eſſe concedebant, non omnes reciperent.

At demus, nec Eximium Stejartium aſſerere voluiſſe, definitum eſ-ſe, quis ſenſus Auguſtini ſit in illis opuſculis; ſed tantùm definiri potuiſſe, & poſſe hodiédum: Nec ſic tamen probaverit, non poſſe Eccleſiam in definiendo ſenſu Janſenii errare. Nam tunc argumentum ipſius erit ejuſmodi: "Potuit olim, & poteſt hodiédum Eccleſia definire, quis S. Auguſtini in „libris jam dictis ſenſus ſit de gratiâ; atque ita doctrinam de gratiâ in ſenſu „Auguſtini approbare: Ergò ſimiliter damnare, vel etiam approbare po-„teſt doctrinam aliquam in ſenſu Janſenii?"

Quis neget? Sed hoc non eſt quod quæritur, Vir Ampliſſime: De judicio infallibili quæſtio eſt; pro quo, ut aliquid concluderes, ſic tibi aſſumendum fuerat: "Potuit olim, & poteſt hodiédum Eccleſia definire ju-„dicio infallibili, quis S. Auguſtini in libris jam dictis ſenſus ſit de gra-„tiâ; atque ita doctrinam de gratiâ in ſenſu Auguſtini approbare."

Verùm ſi ſic aſſumpſiſſes, certiſſimè noveras negandum Tibi aſſumptum: Unde malebas illud, *infallibiliter*, quod in antecedente poſitum non fuerat, per ſophiſmia conſequenti inſerere, quam prius, ubi debebas, aſſumere.

At quid, ſi brevius ſic aſſumpſeris: "Poteſt Eccleſia doctrinam gratiæ „approbare infallibiliter in ſenſu Auguſtini, prout in libris jam dictis con-„tinetur?" Ergò &c.

℞. Bre-

℟. Brevius tunc quidem, ſed obſcurius aſſumpſeris! Undè ſic evolvendum erit aſſumptum.

Poteſt Eccleſia doctrinam aliquam gratiæ approbare infallibiliter in ſenſu, quem ſupponit eſſe Auguſtini; concedimus: Nam tunc Eccleſia non definit, niſi quæſtionem juris, quam definire poteſt infallibiliter.

Poteſt Eccleſia Doctrinam aliquam gratiæ approbare infallibiliter, & ſimul definire infallibiliter, eam eſſe doctrinam & ſenſum Auguſtini; negamus: Nam tunc definiret ſimul & quæſtionem juris, & quæſtionem facti non revelati; in quæſtione autem facti non revelati errare poſſe Eccleſiam, jam antè monſtratum eſt.

Undè patet, in quamcumque formam argumentum ſuum vertat STEJARTIUS, concludere eum non poſſe, conſtare ex infallibili deciſione Eccleſiæ, ſenſum damnatum & Hæreticum quinque Propoſitionum eſſe ſenſum Janſenii.

Tandem ubi ſentit conſequentias ſuas deficere, ad judicia temeraria & dicteria recurrit; ut dum argumentando vincere non poteſt, conviciando vincere videatur. *Sanè*, inquit, *ſi doctrina aliqua approbata fuiſſet in ſenſu Janſenii, nemo hodie ex iſtis, qui reclamant, non recepiſſet hoc judicium ut* INFALLIBILE.

Videte Viri Eximii atque Ampliſſimi temeritatem. Scit certiſſimè ſentire nos, errare poſſe Eccleſiam in decidendis quæſtionibus facti non revelati: Et tamen judicat, continuò nos contrarium dicturos, ſi Eccleſia id, quod volumus, definiret. Quid hoc eſt aliud, quàm dicere apertè, omni nos vento circumferri, quocumque vel ſenſus proprius, vel commodum privatum, vel alia cupiditas impulerit; idem nos verum dicere & falſum pro libitu: Infallibile non eſſe apud nos Eccleſiæ judicium in decidendâ quæſtione facti non revelati, cum doctrinam gratiæ in ſenſu Janſenii condemnat; infallibile mox futurum, ſi doctrinam gratiæ in ſenſu Janſenii approbaret.

Non imputet Dominus illi hoc de nobis judicium, tam temerarium, tam injurioſum: ſed videat, an ipſe illius criminis Reus non ſit, de quo alios accuſat.

Sentit nobiſcum, errare poſſe Eccleſiam in iis, *quæ non* FIDEM OLIM REVELATAM, *ſed facta particularia nihil ad eam facientia concernunt*: Hinc nobiſcum inferre deberet, errare poſſe Eccleſiam in quæſtione de ſenſu Janſenii, quam certum eſt nec *olim revelatam* fuiſſe, nec ad fidem quidquam facere: Non infert tamen. Quid eum impedit in re tam manifeſta inferre conſequens, quod ultrò ex antecedente jam poſito ſequebatur? imo vero quid eum cogit aſſumere doctrinam, ſuis ipſius principiis repugnantem? Vos ipſi judicate, Præſules Illuſtriſſimi: nobis ſufficit, malè cohærentem inter ſe

Exi-

Eximii Stejartii doctrinam demonſtraſſe. Ad alia confutanda pergamus.

"Stejart. Potuit approbare Eccleſia dogmata, prout extant in Ca„nonibus Tridentini: Quidni igitur poſſit damnari vel etiam approbari do„ctrina aliqua in ſenſu Ianſenii?"

R. Si approbaret Eccleſia dogmata prout extant in Canonibus Tridentini; diſpiciendum foret, quid per ſuam approbationem definitum vellet Eccleſia.

Si definitam vellet ſolam quæſtionem juris, *Hæc dogmata* (quæ ſupponit extare in Canonibus Tridentini) *eſſe dogmata Eccleſiæ*, omnes ſine controverſia illam definitionem ut infallibilem admitterent: ſed plus indè inferri non poſſet, quam poſſe ſimiliter Eccleſiam definire judicio infallibili, *hanc doctrinam* (quam ſupponit eſſe in Ianſenio) *eſſe hæreticam*; quod nemo rurſus negaverit.

Si verò definitam vellet non ſolam quæſtionem juris, *hæc dogmata eſſe dogmata Eccleſiæ*; ſed & quæſtionem facti, *hæc dogmata extare in Canonibus Tridentini:* admitteretur quidem definitio Eccleſiæ ut infallibilis quoad quæſtionem juris; non tamen neceſſariò ut talis admitti deberet quoad quæſtionem facti.

Exemplo rem illuſtrabimus. Contentio eſt hodie inter S. Auguſtini Diſcipulos & Moliniſtas de Canone 3. ſeſſ. 6. Concil. Trid. de Iuſtif. *Si quis dixerit, ſine prævenìente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur: Anathema ſit.* Exiſtimant S. Auguſtini Diſcipuli, per *Prævenientem Spiritus S. inſpirationem atque ejus adjutorium* ex mente Concilii intelligi debere gratiam per ſe efficacem; negant Moliniſtæ: Sed quid ſi hodiè Eccleſia definiret, non ſolum doctrinam de gratia per ſe efficaci eſſe doctrinam Catholicam, quod eſt juris; ſed & doctrinam illam contineri ac definitam eſſe à Concilio Tridentino ſeſſ. 6. de Iuſtif. Can. 3. quod eſt facti? Quid agerent Moliniſtæ? Sic prorſus exiſtimamus, nullum ex illis fore, qui doctrinam de Gratia per ſe Efficaci non mox reciperet ut Catholicam; ſed non continuò credere deberent, doctrinam illam Canone iſto jam olim definitam fuiſſe: neque quiſquam eſſet, qui jure ipſos propterea hæreſeos inſimularet; eò quod quæſtio facti ſit non revelati, an Concilium Tridentinum eo Canone doctrinam de Gratia per ſe Efficaci definierit.

Ex his etiam ſatis confutatum eſt argumentum tertium, quod in hunc modum format Eximius Stejartius: "Poterat Innocentius damnare „V. Propoſitiones in ſenſu alicujus ex Columnis tribus: Quidni igitur poſſit „damnari vel etiam approbari doctrina aliqua in ſenſu Ianſenii?"

Tantum hic monendus eſt Vir Ampliſſimus, non potuiſſe damnari V. Propoſitiones in ſenſu columnæ tertiæ; cum hic ſenſus non eſſet ſenſus aliquis V. Propoſitionum; ſed ſenſus ſenſui V. Propoſitionum, quomodocumque acciperentur, directè oppoſitus.

§. IX

§. IX.

Examinantur porrò, & refelluntur quæ in DECLARATIONE MENTIS *ſuæ habet* STEJARTIUS.

PRæſenſerat Vir Eximius fore, ut non facilè ſimul crederentur hæc duo: Eccleſiam errare poſſe in iis, quæ *ad fidem olim revelatam* non ſpectant; & tamen errare non potuiſſe in quæſtione circa ſenſum Ianſenii, quam ad *fidem olim revelatam* non ſpectare certum eſt. Hinc objectiones ipſe præoccupans: "Duo, inquit, ſunt quæ obſtare videntur. 1. Quod ſenſus Auguſtini, „ vel Canonum Tridentini, item trium Columnarum, clariſſimus foret, „ vel ſaltem faciliori negotio aſſequendus: libri autem horum Authorum „ damnatorum (Baii & Ianſenii) valdè ambigui."

Concluſionem non ponit, ſed inferendam relinquit: "Ergo etſi judicio „ infallibili approbari potuiſſet ſenſus Auguſtini in Opuſculis illis de Gra„ tia, ſenſus Canonum Tridentini, & ſenſus primæ vel ſecundæ columnæ; „ non tamen ſequitur, infallibili etiam judicio damnari potuiſſe ſenſum Ian„ ſenii."

"Sed, inquit, Reſponſio facilis. Quod libri Authorum iſtorum fortè non „ tam obviè intelligantur, ac alia iſta (quamquam multi ſe illos putârint, „ & adhuc putent, intelligere perſpicuè) id plus non facit, quam differen„ tiam, ut vocant, penes *magis* & *minus*; nihil verò *eſſentiale*, propter quod „ Eccleſia de his potius, quam de illis infallibiliter judicare poſſit."

Reſponſio prorſus Sophiſtica, quâ principium petit STEJATIUS, & ſupponit id, de quo controverſia eſt. Supponit enim ex ſola deciſione Eccleſiæ *infallibiliter* determinari poſſe quæſtiones non revelatas de ſenſu alicujus libri vel ſcripti: atque eo ſuppoſito dicit, nihil referre an ſenſus alicujus libri vel ſcripti magis aut minus clarus ſit; cum ea differentia non ſit niſi penes *magis* & *minus*, nihil verò faciat *eſſentiale*. Verum cum non ignoret, ſuppoſitum iſtud in *Supplicatione* conſtanter negari; quin & ex ſuis ipſius Aphoriſmis falſum oſtendi: non debebat profectò illud ſupponere, ſed ſeponere; relictâque paulisper ſuâ de Eccleſiæ in factis ejuſmodi decidendis infallibilitate ſententiâ, reſpondere eum oportebat, an non magis Eccleſia errare poſſit in decidendo ſenſu alicujus libri qui obſcurus eſt, quam in ſenſu libri qui clarus eſt? Tum demum reſponſi ſui ineptiam deprehendiſſet, coactuſque fuiſſet fateri, tam non ſequi, *Errare non potest Eccleſia in ſenſu libri magis claro; ergo nec in ſenſu libri minus claro*; quam non ſequitur, *Errare non poſſum in dicernendis coloribus, cum meridies eſt ergo nec cum dubia lux eſt.* Quamquam tum hic tum illic non ſit, niſi penes *magis* & *minus* differentia. Veniamus ad objectionem alteram, & ſolutionem.

2. "Si

2. "Si in quæſtione circa ſenſum Janſenii errare non poſſit Eccleſia; non „ ſtabit igitur Bellarmini & communis reſponſio de errore *ſextæ Synodi* circa „ ſenſum Honorii. Sed reſponſio facilis . . . . Honorii cauſa hoc habet diſcri- „ minis à præſenti, quod Monothelismus damnatus fuerit ſinè ulla depen- „ dentia à ſenſu Honorii, ſed prout ſatis ſciebatur in quo conſiſteret: Verùm „ cum dubitaretur in quo ſenſu damnaræ forent v. g. Propoſitiones V. ab In- „ nocento X. remiſit nos Alexander VII. ad *Librum Janſenii*, ut indè ſenſus „ quæri poſſet; perindè ac ſi Innocentius X remiſiſſet ad unam è tribus co- „ lumnis; vel ut Pontifices olim pro ſenſu Gratiæ, quàm tenet Rom. Eccle- „ ſia, remittebant ad Libros Auguſtini."

Reſponſio mirabilis: "Honorii cauſa hoc habet diſcriminis à præſenti, „ quod Monothelismus damnatus fuerit ſine ulla dependentia à ſenſu Hono- „ rii, ſed prout ſatis ſciebatur in quo conſiſteret." An ſi Monothelismus damnatus fuiſſet cum dependentia à ſenſu Honorii, tunc circa ſenſum Honorii errare non potuiſſet VI. Synodus? Quæ fictio!

Sed quidquid ſit de diſcrimine iſto; in hoc certè cauſa Honorii convenit cum cauſa Janſenii, quòd ut Honorii Epiſtola damnata eſt à Synodo VI. ita Janſenii Liber damnatus ſit ab Alexandro VII. Atque ut juxta Bellarminum (ſi Acta Synodi VI. corrupta non ſint) in condemnanda Epiſtola Honorii erravit iſta Synodus; ita in condemnando Libro Janſenii errare potuerit Alexander. Sed de hoc ſuprà ſat ſuſè.

Quod deinde dicit STEJARTIUS, "Cum dubitaretur in quo ſenſu dam- „ natæ forent v. g. Propoſitiones V. ab Innocentio X. remiſit nos Alexander VII. ad Librum Janſenii, ut inde ſenſus quæri poſſet," neſcimus quomodo à Viro Eximio dici potuerit.

Nam imprimis quis credat, Pontificem nos remittere voluiſſe ad illum librum, quem ipſe, & duo ante ipſum Pontifices legi vetuerant?

Deindè quid ſtultius, quàm ad quærendum ſenſum condemnatum V. Propoſitionum, remittere ad Janſenium, librum vaſtum, & ſi ex eventu judicandum eſt, obſcurum, de cujus ſenſu magis, quàm de ſenſu ipſarum Propoſitionum contendebatur.

Quod addit, "Perindè ac ſi Innocentius X. remiſiſſet ad unam è tribus „ columnis; vel ut Pontifices olim pro ſenſu Gratiæ, quam tenet Rom. „ Eccleſia, remittebant ad libros Auguſtini," tum demùm aptè diceretur, cum ſenſus Janſenii tam clarus foret, ac ſenſus trium Columnarum, vel ſenſus Auguſtini de gratiâ.

§. X.

§. X.

Refellitur Compendium Dictorum à STEJARTIO *in* DISPUTATIONIBUS *publicis die 29. & 31. Martii 1692. in fine earum totidem verbis prælectum; & nunc rurſus in* DECLARATIONE MENTIS *expreſſum.*

STabiliverat *Supplicatio* §. I. hoc principium : *Jurare non licet id, de cujus veritate certò non conſtat.* Viſum id fortaſſe fuit paulò durius STEJARTIO, conatusque eſt certitudinem iſtam mitigare, quo plures poſſet ad jurandum pellicere. Id facit in *Compendio dictorum* &c. quod ſic incipit.

" Qui jurat juxtà formulam Alexandri VII. debet ſibi perſuaſum habe-
„ re, Propoſitiones V. famoſas eſſe ex Janſenio excerptas, & in ſenſu
„ libri illius verè eſſe damnabiles, ac damnatas."

℞. Dubium foret, quid verba iſta, *debet ſibi perſuaſum habere*, ſignificent; niſi paulò poſt ſequeretur : *Qui ſic jurat, non poteſt negare, aut etiam in dubium vocare prædicta iſta:* Undè conſtat, certitudinem factorum Janſenii à STEJARTIO requiri in illis, qui jurant juxtà formulam Alexandri.

" Hoc ſibi perſuadendi, ait, eſt duplex via: Inquiſitionis propriæ, le-
„ gendo Janſenium, vel eos, qui librum illius diſcutiunt; & acquieſ-
„ cendo judicio Pontificis ac Eccleſiarum, etiam Gallicanæ."

℞. Quod ad primam viam attinet, inquiſitionis propriæ, legendo Janſenium vel eos qui Librum illius diſcutiunt: non poteſt per hanc ad certitudinem factorum Janſenii perveniri. Nam ſive Janſenium ipſum legeris, ſive eos qui librum illius diſcutiunt, numquam auſis certò ſtatuere, Propoſitiones quinque excerptas eſſe è Libro Janſenii & in ſenſu illius Hæreticas; quando videris tot alios Viros Te doctiores & perſpicaciores id auſos non eſſe; vel ſi qui id auſi ſint, non effeciſſe ut res iſta certò crederetur, ſed novas contentiones excitaſſe, quibus omnia magis dubia evaderent. Exemplo ſit ipſe Vir Eximius STEJARTIUS, qui id poſt omnes conatus eſt, tandemque aſſeruit, quod antè ipſum nemo invenerat, ideò Hæreticum eſſe Librum Janſenii, quòd gratiam *Stejartianè* ſufficientem non admitteret: quo effecit, non ut certò perſuaſum ſit, rem ita ſe habere; ſed ut magis, quàm prius, incertum ſit an ita ſe habeat.

Quod ad alteram viam ſpectat, *acquieſcendo Judicio Pontificis ac Eccleſiarum, etiam Gallicanæ*, neque hâc poteſt certitudo haberi. Nam tunc Pontificem in decidendis facti ejuſmodi quæſtionibus infallibilem eſſe oporteret:

quod vel ex ipſis STEJARTII principiis verum non eſſe demonſtravimus.

Quod dicit de *Judicio Eccleſiarum*, etſi id verum foret, non æquivaleret tamen illarum judicium judicio Eccleſiæ Univerſalis in Synodo aliqua congregatæ: quam ipſam tamen in hujuſmodi factis decidendis falli poſſe jam antè exemplo Synodi V. & VI. ex Baronio & Bellarmino oſtenſum eſt. Quamquam minimè verùm ſit, facta illa ab Eccleſiis paſſim & Epiſcopis diſcuſſa judicataque fuiſſe.

Sed iſtud mirum quod addat, *etiam Gallicanæ*; cum conſtet Eccleſiam Gallicanam in hoc ſolum conſenſiſſe, ut *Fides dogmatibus*, *Reverentia factis* exhiberetur; atque ita à Clemente IX. pacem cum gaudio incredibili obtinuiſſe.

Exemplis deindè rem lenire, & juramenti horrorem tollere conatur STEJARTIUS: "Formula tamen Alexandri, ait, non aliter iſta vult jurari, „ quàm juraret v. g. aliquis ſe hanc Hoſtiam adorare, etiam ut verè conſe„ cratam; ſe hunc hominem colere, tamquam verum ſuum patrem; etſi iſtâ „ jurandi formulâ propriè non juret hanc Hoſtiam verè conſecratam eſſe, vel „ hunc eſſe verum ſuum patrem. Sicut ergò hic ultimus, etſi propriè hæc „ facta non juret, ſignificat ſe illa ſic tenere ut de illis non dubitet, ac mul„ tò minùs eadem in dubium vocare, aut ut vocentur permittere velit; ita „ qui jurat Formulam Alexandri: ſic ut ſi juraret, & tamen contrarium „ iſtis factis teneret, ex conſequenti perjurus foret."

℞. Quàm parùm apta ad ſcopum STEJARTII ſunt iſthæc exempla! Duo quippe ipſi propoſita ſunt.

1. " Facilitare Formularis negotium."

2. " Non præjudicare vel Sedi Apoſtolicæ, vel ulli Illuſtriſſimorum An„ tiſtitum in hac parte: quorum ſe judicium, ſuo etiam poſtpoſito, libenter ſecuturum profitetur." Vide *Declar. mentis*

Ut faciliter Formularis negotium; aſſerit eum, qui jurat Formulam Alexandri, PROPRIè non jurare facta, quæ in Formulâ continentur.

Quod ſi verum ſit; profectò ſequitur perjurum propriè eſſe non poſſe, qui Formulam illam jurat, etſi facta non credat: undè non *facilitatum* modò, ſed & ſublatum prorsùs videri à STEJARTIO poterat Formularis negotium, quod tanto ſtrepitu quidam Epiſcopi excitaverant.

Sed quoniam ſimul illi propoſitum erat, non præjudicare ulli Illuſtriſſimorum Antiſtitum, qui juramentum in facta exigebant: ſollicitè addit, ex conſequenti perjurum fore, qui dubius de Factis Janſenii Formulam Alexandri juraret.

Sed dum utrique parti placere vult, placet neutri.

Non Illuſtriſſimis Epiſcopis; quia ſe illorum Formulæ contrarium declarat, cùm jurari non vult in Facta, in quæ ipſi juramentum poſtulabant.

Non juraturis: quia perjuros fore affirmat, ſi dubii de Factis Janſenii jurarent in Alexandri Formulam.

Sic quod alterâ manu dat, alterâ negat STEJARTIUS. Speraverant multi fore ut illius mitigatione, & conſcientiæ ſuæ, & Reverendiſſimis Epiſcopis facerent ſatis. A jurando non deterrebat niſi merus perjurii: perjurium verò metuebant, quòd de Factis Janſenii certi non eſſent: STEJARTIUS ut juramentum reddat facilius, non jurari in Facta affirmat Rectè id quidem, & juraturis commodè. Sed miſeris illudit; aſſeritque mox: Si jurent dubii de Factis, fore eos perjuros. At ecce hoc ipſum erat, quod infelices metuebant.

Aliud addit STEJARTIUS, quo metum perjurii, quem paulò antè auferre viſus fuerat, non parùm adauget. Poſtquam enim viam ad jurandum facilem oſtenderat, ſibi ipſe non ſatis conſtans, tacitè, quæ ſuggeſſerat, recantat. Nam ita concludit: *Cæterum hæc ita dicta ſint, ad facilitandum... Formularis negotium: ut tamen præjudicare nolim.... ulli Illuſtriſſimorum Epiſcoporum....* QUORUM JUDICIUM, MEO ETIAM POSTPOSITO, LUBENS SEQUAR. Hoc eſt: "Ego quidem dixi, dum juratur Formula Alexandri, „non jurari in Facta: ſed aliter ſentiunt Epiſcopi, præcipuè Mechlinienſis, „qui mentem Alexandri hanc eſſe disertè declaravit, ut juretur *in veritatem „eorum quæ ſpectant ad Facta: quorum ego judicium meo etiam poſtpoſito lubens „ſequar*. Quare nemo ſe ſecurum exiſtimet, ſi meum judicium ſecutus jura„verit: quando nè ipſe quidem judicio meo ſatis firmus innitor."

Numquid præclarè ſic *facilitatur Formularis negotium?*

Supereſt ut verbum addamus de exemplis, & quàm parùm vel ad facilitandum Formularis negotium, vel ad exponendam Epiſcoporum mentem apta ſint, oſtendamus.

Vel ad litteram & ſtrictè accipienda ſunt exempla allata, vel moraliter & quemadmodùm ea poſſent aliquando in rebus humanis occurrere. Si ſtrictè, non *facilitant* Formularis negotium; ſi moraliter, menti Epiſcoporum adverſantur.

Si quidem qui hiſce terminis juraret; *Juro me hanc Hoſtiam adorare, etiam ut verè conſecratam*; *Juro me hunc hominem colere tamquam meum verum patrem*, is juraret facta, de quibus omninò certus eſſe vix poteſt; & quæ jurari nulla neceſſitas vel utilitas compellit: quod in negotio Formularis non admittet STEJARTIUS.

Si moraliter accipiantur, & quemadmodùm ea poſſent aliquando uſu venire; tunc ſenſus iſtorum juramentorum erit ejuſmodi, ut nullo modo juretur in Facta, ſed Facta tantùm ſupponantur: quo caſu nulla eſſe debet de Factis iſtis certitudo. Quod rursùs in negotio Formularis non admittet, qui Illuſtriſſimis Antiſtitibus præjudicare non vult, STEJARTUIS.

CAPUT IV.

Ex iis, quæ circà negotium Formulæ *ſub Clemente IX. geſta ſunt, concluditur, ex mente Summorum Pontificum ſufficere, ſi* Fides dogmati, reverentia Factis *præſtetur.*

DIutiùs fortè, quàm par erat, Illuſtriſſimi Præſules, immorati ſumus vindicandis nobis Bellarmino, Baronio, Palavicino; loco item STEJARATII, quem poſt Viroſillos Eminentiſſimos allegaverat SUPPLICATIO: ſed ita ferè contingit, cùm de ſenſu Authorum contenditur. Breviores erimus hoc Capite: ubi omnia ex Actis Authenticis tam manifeſta ſunt, ut mirum ſit potuiſſe aliquid à SUPPLICATIONIS Adverſariis opponi.

Primum itaque Compendium Actorum, quæ fuſiùs recenſet SUPPLICATIO, ſubjiciemus oculis.

Deindè, nullis Adverſariorum commentis infirmari ea poſſe oſtendemus.

§. I.

Compendio exhibentur ea, quæ ab Anno 1664. *uſque ad* 1668. *geſta ſunt circa negotium formulæ, propoſitæ in Galliâ.*

CUm Alexander VII. Anno 1664. Kal. Martii, flagitante per Oratorem ſuum Rege Chriſtianiſſimo, mandaſſet in Galliâ ab omnibus ſubſcribi *Formulæ, in qua V. Propoſitiones ex Cornelii Janſenii Libro, cui titulus,* AUGUSTINUS, *excerptas ſincerè damnarent:* quatuor Epiſcopi, *Alectenſis, Apamienſis, Bellovacenſis, & Andegavenſis,* promulgarunt Edicta, quibus quidem ſubſcriptionem Formulæ ab Alexandro imperatam proponebant; ſed duas in ea diſtinguebant Quæſtiones, alteram *juris*, alteram *facti:* quarum illi *fidem*, huic tantùm *reverentiam* exigebant.

Factam illam à quatuor Epiſcopis *juris & facti* diſtinctionem approbarunt novemdecim alii Epiſcopi, qui ſcriptis 1. Decem. 1667. ad Clementem IX. litteris, primum quidem eximias quatuor Epiſcoporum virtutes, & inſignem in Sedem Apoſtolicam obſervantiam commendant; deindè verò rejecto aliorum dogmate, qui dicebant Facta non revelata ab Eccleſiâ deciſa, æquè ac revelata, fide teneri oportere; laudant Epiſcopos prædictos, quod *oppoſitam huic manifeſtiſſimo errori doctrinam, communiſſimam ſimul & certiſſimam*

mam in mandatis ſuis expreſſerint ; humana nimirùm nec divinitùs revelata Facta non omnimodâ & infallibili certitudine ab Eccleſia definiri , adeóque in ejuſmodi rebus nihil aliud ipſam à Fidelibus exigere , quàm ut ſua Decreta reverenter , ut par eſt , habeant.

Hanc doctrinam aſſeri ac tradi *à Summis Apoſtolicæ Sedis veneratoribus , ejuſque acerrimis vindicibus , Baronio , Bellarmino Pallavicinò:* perneceſſariam eſſe *ad vindicandam Eccleſiæ authoritatem in ſanciendis Fidei dogmatibus , & ad Hæreticorum criminationes repellendas.*

Ita ſentire ſi crimen noxium exiſtimetur , non hoc proprium ipſorum , ſed omnium , imò totius Eccleſiæ crimen eſſe.

Non defuiſſe, nec paucos nec poſtremi nominis Epiſcopos, qui idem prorsùs, quod illi , præſtiterunt , vel publicis mandatis , tametſi non prælo excuſis , vel. . . . in publicis Actis ſive Tabulis , in quibus eandem latè doctrinam explicarant.

Pleroſque alios faciles ſe Clericis præbuiſſe , ſi quibus fortaſſe aliquid addere in ſubſcriptis ne libuit , dummodò rectum & orthodoxum.

Ejuſdem argumenti epiſtolam ſcripsere etiam ad Regem Chriſtianiſſimum: magnâque fiduciâ , tum à Sua Sanctitate, tum à Majeſtate Suâ poſtulârunt, ut , cùm neque ſenſus quatuor Epiſcoporum de diſtinctione Juris & Facti ſingularis eſſe ; neque ratio agendi ab ea , quam tenuerant Epiſcopi alii (ſi rem ipſam ſpectes) diſtincta ; pax tandem , & perfecta concordia Eccleſiæ Gallicanæ daretur.

Sic res tum apud Clementem IX. tum apud Regem Chriſtianiſſimum, ad pacem diſpoſita. Unum deeſſe videbatur , ut Epiſcopi quatuor , quod prius fecerant Edictis publicis prælo excuſis ; idem nunc iterum, ſed aliâ diſciplinæ formâ quæ ſuæ Sanctitati in aliis Epiſcopis non diſplicuerat , præſtarent.

In hoc incubuere ſedulò Archi-Epiſcopus Senonenſis , Epiſcopus Catalaunenſis , & Epiſcopus Laudunenſis , nunc Eminentiſſimus Cardinalis Eſtræus : qui Epiſcopis quatuor perſuasêre , ut plurium Co-Epiſcoporum exemplo cogerent Synodos ſuas , & de novo illic , cum diſtinctione Juris & Facti , Formulæ ſubſcribi mandarent ; hanc diſciplinæ rationem acceptiorem eſſe ſuæ Sanctitati &c.

Coegerunt Synodos , & diſtinctione Juris & Facti expoſitâ , diſertiſſimè declararunt , ſe non aliud , quàm *fidem dogmati , factis* autem *reverentiam* poſtulare.

Hoc ſuum mutatæ diſciplinæ conſilium per litteras ſcriptas 1. Septemb. 1668. Clementi IX ſignificant : Qui benigniſſimè illis acceptis , teſtatus eſt abundè ſibi ſatisfactum eſſe, juxtà *Breve,* quod hâc de re ad Majeſtatem ſuam Chriſtianiſſimam mittebat.

Sic declaravit Illuſtriſſimus ſuæ Sanctitatis Nuntius coram Epiſcopis pacis Mediatoribus , die decimâ Octobris 1668, die verò vigeſimâ tertiâ

menſis ejuſdem ſopiri juſſit Rex Chriſtianiſſimus conteſtationes omnes, quæ in Conſilio ſuo eâ ſuper re fuerant: Et tandem die vigeſimâ ſeptimâ ſcripſit ad Epiſcopos quatuor, *completum eſſe ſuum de re iſta gaudium, cùm per Breve, quod ipſi ſcripſerat Sanctiſſimus D. N. Papa, & per vivam vocem Nuntii ipſius intellexerat, Sanctitati Suæ ab illis plenè factum eſſe ſatis quoad ſubſcriptionem Formulæ; atque ita diſſidia omnia, quæ ab annis aliquot Eccleſiam Gallicanam agitaverant, terminata eſſe.*

Pax erat, niſi malevoli quidam jactaſſent apud Summum Pontificem, deceptum illum fuiſſe, & de iis, quæ in Synodis ſuis fecerant quatuor Epiſcopi, non ritè inſtructum: non ſincerè illos condemnationi quinque Propoſitionum ſubſcripſiſſe; quin & proteſtationes feciſſe ſuæ ſubſcriptioni contrarias.

Hoc effecit, ut Clemens IX. Breve ſuum pacificum ad quatuor Epiſcopos ſuſpenderet; mandaretque Nuntio ſuo, ut de Synodis & proceſſibus verbalibus, qui in iis habiti fuerant, exactè illum inſtrueret.

Hic mandato accepto 2. Decembris 1668. rogavit pacis Mediatores Antiſtites, ut Declarationem conficerent, quâ de iis, quæ in Synodis geſta fuerant, id quod res erat teſtarentur.

Declarationem illam (quam Actam vocant) tradidêre Nuntio quartâ Decembris; qui illam, morâ nulla interpoſitâ, ad Urbem deſtinavit. In hac Actâ declarant.

1. *Epiſcopos quatuor egiſſe fide quàm optimâ.*

2. *Condemnaſſe eos, & condemnari juſſiſſe Propoſitiones quinque, ſinceritate omni, abſque exceptione vel reſtrictione qualicumque, in omnibus ſenſibus, quos Eccleſia condemnavit.*

3. *Abeſſe ab illis quam longiſſimè, ut corde ſuo tegant conſilium quodcumque errores illos quovis prætextu renovandi, ferendìque ut quis illos renovet, vel in minimo factam ab Eccleſia illorum condemnationem labefactet.*

4. *Quod verò ad attributionem ſpectat, quâ Propoſitiones illæ adſcribuntur Libro Janſenii, Epiſcopi Iprenſis; iterum præſtitiſſe, juſſiſſeque eos præſtari S. Sedi omnem reverentiam & obedientiam, qualis ipſi, dum libros proſcribit, exhiberi debet juxta Theologorum omnium conſenſum, juxta doctrinam omnium retro ſæculorum Catholicam, imo & noviſſimis temporibus aſſertam ab Acerrimis Auctoritatis S. Sedis Defenſoribus, quales fuêre Cardinales Baronius, Bellarminus, Richelius, Pallavicinus, & Patres Petavius & Sirmundus; idque conformiter ad mentem Conſtitutionum Apoſtolicarum, quæ in eo poſita eſt, nihil ut dicatur, ſcribatur, vel doceatur Pontificum Deciſionibus contrarium.*

Poſtquam Romæ per hebdomades tres Acta illa in frequentiſſimo Cardinalium Prælatorum aliorumque Conſultorum Cœtu diſcuſſa & approbata fuiſſet: Breve Apoſtolicum ad Epiſcopos quatuor miſit Summus Pontifex, quo hæc indicat.

1. *Miſſum*

1. *Miſſam ad ſe ab Archi-Epiſcopo Thebarum, Nuntio ſuo, Epiſtolam illorum, quâ ſe formulario ſincerè ſubſcripſiſſe & ſubſcribi feciſſe ſignificaverant.*

2. *Quædam de hac re ſecus circumlata, occaſionem ſibi præbuiſſe in tam gravi negotio ſerius procedendi.*

3. *In præſens tamen nova & gravia ſe iſthinc accepiſſe documenta veræ & totalis obedientiæ illorum, quâ & formulario ſincerè ſubſcripſerant, & abſque ulla exceptione aut reſtrictione damnaverant quinque Propoſitiones in omnibus ſenſibus, in quibus à Sede Apoſtolica damnatæ fuerant.*

4. Hâc ratione *Alienos prorſus illos eſſe à renovandis in hac re erroribus, qui ab eadem damnati ſunt.*

Aliud etiam Breve miſit ad Pacis Mediatores, Archi-Epiſcopum Senonenſem, & Epiſcopos Catalaunenſem ac Laudanenſem, quo Epiſcoporum quatuor obedientiam PERFECTAM ET INTEGRAM appellat.

Sic pace compoſitâ, recepta eſt in Gallia ſubſcriptio formulæ cum *diſtinctione Juris & Facti:* quâ vel illis etiam Epiſcopis deinceps ſatisfactum fuit, qui fortiſſimè prius tali ſubſcriptioni obſtiterant.

Hæc omnia Actis tam authenticis ſtabilivit SUPPLICATIO, ut nullâ poſſint ratione infringi. Quare ex illis invictè concludimus, hunc fuiſſe ſenſum Clementis IX. & poſt ipſum tandem Eccleſiæ Gallicanæ totius, errare poſſe Eccleſiam in ſenſu alicujus libri definiendo. Sed quoniam nîl adeò firmum eſt, quòd cavillis non pateat, lubet etiam hic *Supplicationis* Adverſarios audire.

§. II.

Refelluntur, quæ opponunt Supplicationis *Adverſarii circa Acta ſub Clemente* IX.

PRimùm audet ipſa Acta in dubium vocare *Inſtitutor Theologico-polemicus* num. 34. ſi tamen audet, quod non audet niſi ſub nomine Eruditiſſimi D. N. DU BOIS, qui id auſus eſt in ſuis Epiſtolis. Sed tali opus erat, qui id auderet: neque enim alium ſani judicii, qui id auſit, invenias.

Acta itaque admittit *Defenſor Formulæ*, ut vel in SUPPLICATIONE deſcripta ſunt: ſed ne ex illis quidem confici putat, quod *Clemens IX. Janſenianâ*, ut ait, *reverentiâ contentus fuerit.* Argumentum ipſius eſt ejuſmodi.

„ Clemens IX. abrogare noluit Decretum, quo mandat Alexander VII. „ ut *Propoſitiones V. ex Cornelii Janſenii Libro, cui nomen* AUGUSTINUS, „ *excerptæ, & in ſenſu ab eodem Authore intento* damnentur:

„ Atqui pro magnâ ſaltem parte id abrogare voluiſſet, ſi contentus fuiſ- „ ſet *Janſenianâ* circà Factum *reverentiâ*:

„ Ergò

„ Ergò eâ contentus non fuit."

℞. Verum eſt, noluit Clemens IX. abrogare Decretum Alexandri VII. uti nec illud abrogavit, cum *reverentiâ* circa *Factum* contentus fuit; ſed interpretatus eſt, agnoſcens duas quæſtiones ab Alexandro definitas eſſe, alteram Juris, alteram Facti: juri ſeu dogmati fidem, facto tantùm reverentiam exhibendam.

Sic eum Decretum Alexandri interpretatum eſſe, & duas in eo quæſtiones diſtinxiſſe probant *Acta*, quæ allegat SUPPLICATIO à §. 7. uſque ad § 16.

Ac inprimis, EPISTOLA *novem decim Epiſcoporum ad Summum Pontificem*, in quâ disertè aſſeritur, *Facta divinitùs non revelata non omnimodâ & infallibili certitudine ab Eccleſia definiri, adeòque in ejuſmodi rebus nihil aliud ipſam à Fidelibus exigere, quam ut ſua Decreta reverenter, ut par eſt, habeant:* Hanc doctrinam *tradi a Baronio, Bellarmino, Pallavicino:* Hunc eſſe ſenſum *totius Eccleſiæ:* Dogma contrarium eſſe *novum & inauditum.* Proindè Epiſcopos quatuor rectè quæſtionem Juris & Facti in ſuis Decretis diſtinxiſſe: Idem prorſus, licet aliâ diſciplinæ formâ, præſtitiſſe *non paucos, nec poſtremi nominis Epiſcopos* &c. Hanc autem epiſtolam non diſplicuiſſe Summo Pontifici; ſed per illam ad pacem provocatum fuiſſe ipſius animum, omnes admittunt.

Accedunt PROCESSUS VERBALES *quatuor Epiſcoporum*; in quibus *Jus* inter & *Factum* exertè diſtinguunt; & juri ſeu *dogmati fidem*, *facto* autem non niſi *reverentiam* ſe exigere declarant.

Quid in his *proceſſibus*, ut aiunt, *verbalibus* contineretur, certiſſimè innotuit Summo Pontifici ex *Actâ*, quâ DD. Archiepiſcopus Senonenſis, & Epiſcopi Catalaunenſis ac Laudunenſis, pacis mediatores, ſpeciatim Suam Sanctitatem de iis, quæ in *proceſſibus* geſta fuerant, informârunt: ſiquidem in ea teſtantur, Epiſcopos quatuor *condemnaſſe* quidem, *& condemnari juſſiſſe Propoſitiones V. ſinceritate omni, abſque exceptione vel reſtrictione qualicumque, in omnibus ſenſibus, quos Eccleſia condemnavit:* ſed *quod ad attributionem ſpectat*, ſeu Facti quæſtionem, *qua Propoſitiones illæ adſcribuntur Libro Janſenii, præſtitiſſe ipſos, & præſtari juſſiſſe S. Sedi omnem reverentiam, qualis ipſi, dum libros proſcribit, exhiberi debet juxta Theologorum omnium conſenſum, juxta doctrinam omnium retro ſæculorum Catholicam, imò & noviſſimis temporibus aſſertam ab acerrimis Autoritatis S. Sedis Defenſoribus, quales fuere Cardinales Baronius, Bellarminus, Richelius, Pallavicinus* &c.

Hanc ACTAM *Romæ ſolemniter approbatam fuiſſe; ac deinde Suam Sanctitatem, pro felici pacis Eccleſiæ conſummatione, Mandata in Galliam ſua direxiſſe, quæ publico illic gaudio recepta ſunt*, teſtis irrefragabilis eſt D: FELIX VIALART Epiſcopus & Comes Catalaunenſis, Par Franciæ, in ſua ATTESTATIONE.

Mox ad Epiſcopos quatuor, qui non niſi cum diſtinctione *juris & facti* ſubſcripſerant, BREVE pacificum miſit Clemens IX. quo VERAM ET TOTALEM eſſe ipſorum OBEDIENTIAM, & *Formulario eos ſincere ſubſcripſiſſe &, damnatis abſque ulla exceptione quinque Propoſitionibus in omnibus ſenſibus in quibus à Sede Apoſtolicâ damnatæ fuerant, alienos prorsùs eſſe à renovandis in hac re erroribus illis*, apertè fatetur

In BREVI ad Epiſcopos pacis mediatores, PERFECTAM AC INTEGRAM quatuor Epiſcoporum OBEDIENTIAM appellat.

Ex quibus ſine dubitatione ullâ concludimus, Clementem IX. ſic interpretatum eſſe Decretum Alexandri VII. ut juxtà illud non niſi *fides dogmati, reverentia facto* præſtari deberet.

" At, inquit, *Defenſor Formulæ* p. 18., evidens eſt non potuiſſe quatuor „ Epiſcopos *omni ſinceritate, ſine ulla exceptione aut reſtrictione* condemnare „ *V. Propoſitiones in omni ſenſu, in quo eas Eccleſia & Sedes Apoſtolica condemnaverat* (ut de illis teſtantur Epiſcopi pacis mediatores, & in ſuo Brevi „ fatetur Clemens IX) niſi damnando ſenſum Libri, cui titulus: *Auguſti-* „ *nus Cornelii Janſenii.* Tantùm enim inſpicienda ſunt verba Conſtitutionis „ Innocentii X. ac præſertim Alexandri VII. uti & verba Alexandrinæ „ Formulæ, ut quis perſpiciat ſenſum illius Libri diſertiſſimè condem- „ nari &c.

„ Ergò etiam ſenſum illius Libri condemnaverunt quatuor Epiſcopi, priuſ- „ quàm à Clemente IX. pacem acceperint."

R. Veriſſimum fuit quod de Epiſcopis quatuor teſtatiſunt pacis Mediatores, & in ſuo *Brevi* faſſus eſt Clemens IX. Epiſcopos illos *condemnaſſe Propoſitiones V. ſinceritate omni, abſque exceptione vel reſtrictione qualicumque in omni ſenſu, in quo eos Eccleſia & Sedes Apoſtolica condemnaverat*; nam reverà ſic eas condemnaverant quatuor Epiſcopi: ſed non indè ſequitur, eos etiam condemnaſſe ſenſum Libri Janſenii; quia an ſenſus libri illius hæreticus ſit, & ab Eccleſia & Sede Apoſtolica condemnatus, non ſatis conſtabat.

Res patet in hoc ſimili: Bellarminus condemnavit Monothelismum ſinceritate omni, abſque exceptione vel reſtrictione qualicumque in omni ſenſu, in quo Monothelismum Synodus ſexta condemnavit: & tamen non ſequitur, eum condemnaſſe ſenſum Epiſtolæ Honorii; quia ſenſum Epiſtolæ Honorii hæreticum eſſe & proindè à Synodo ſexta condemnatum, negat Bellarminus.

At conſtat Condemnatas eſſe à Sede Apoſtolicâ quinque Propoſitiones in ſenſu Libri Janſenii?

R. Conſtat ſimiliter à Synodo ſexta condemnatum eſſe Monothelismum in ſenſu Epiſtolæ Honorii. Verum per ejuſmodi condemnationes non aliud ſignificat Eccleſia, quam ſe doctrinam aliquam condemnare; ſimulque judi-

 care

careſe, doctrinam illam tali ſcripto vel libro contineri. Undè dum exigit doctrinam aliquam in ſenſu hujus ſcripti vel libri condemnari; non aliud exigit, quam condemnari doctrinam illam, quam judicat in hoc ſcripto vel libro contineri: Cui abundè fit ſatis, cum doctrina illa condemnatur omni ſenſu, quo ab Eccleſia condemnatur; & judicio ipſius, quo judicat eam in hoc ſcripto vel libro contineri, non reſiſtitur.

Inſtat rurſus *Defenſor Formulæ* ibidem: " Non potuerunt quatuor Epi-„ſcopi SINCERE ſubſcripſiſſe formulari (quemadmodum eos ſubſcripſiſſe „ſcribit Clemens IX.) niſi ſenſum Libri Janſenii condemnaverint: Ergo „eum condemnarunt, ut à Clemente IX. Pacem acciperent."

R. Subſcripſerunt SINCERISSIME: Nam *ſinceriſſimè* ſubſcribit, qui quo ſenſu ſubſcribat, apertè declarat; apertè autem declararunt in ſuis Synodis & proceſſibus verbalibus quatuor Epiſcopi, ſe non niſi cum diſtinctione *Juris* & *Facti* ſubſcribere, aut ſubſcribi velle; & non niſi *fidem dogmati & facto reverentiam præſtare atque exigere.*

At per *Factum* intellexerunt, non quæſtionem hanc, an Propoſitiones contineantur libro, cui titulus, *Auguſtinus Cornelii Janſenii*; ſed, an Liber ſit revera ab illo Authore conſcriptus. Vide *Defenſ. Formulæ* pag. 19. & Inſtitut. Theol. polem. n. 35. & 36.

R. Nugæ, Cavilli, ſomnia. Nuſquam vel per umbram invenias, in tam longis tamquam gravibus de Janſenio controverſiis diſputatum fuiſſe de hac Facti quæſtione, *An Liber cui Titulus*, AUGUSTINUS CORNELII JANSENII, *ſit ab illo Authore conſcriptus:* Sed ex Adverſo plena ſunt omnia hâc quæſtione, *An Propoſitiones illæ quinque*, *& ſenſus illarum hæreticus ac Condemnatus, eo libro contineantur.* Atque hoc eſt *Factum in Formula contentum*, circa quod non niſi *ſubmiſſionem Reverentiæ & Diſciplinæ* ſe exigere in ſuis proceſſibus verbalibus quatuor Epiſcopi declararunt.

Urget *Defenſor Formulæ*, Clementem IX. in eo ipſo Brevi, quo pacem concedit quatuor Epiſcopis, declarare, ſe *Prædeceſſorum ſuorum Conſtitutionibus firmiſſimè inhærentem, nullam circà negotium Formularis exceptionem aut reſtrictionem admiſſurum umquam fuiſſe*; proinde niſi Formulari ſine *exceptione aut reſtrictione* ſubſcripſiſſent quatuor Epiſcopi, numquam futurum fuiſſe, ut pacem acciperent: Atqui pacem accepêre: igitur ſine *exceptione aut reſtrictione* ſubſcripſerunt. Vide *Defenſ. for. pag.* 20. *item pag.* 24.

℟. Subſcripſerunt *ſine exceptione*: quia nullam partem Formulæ exceperunt, cui non ſubſcripſerint. Nam quâ parte continet *dogmata*, ſubſcripſerunt promittendo *fidem;* quâ parte verò continent *facta*, promittendo *reverentiam.*

Subſcripſerunt *ſine reſtrictione:* quia nec *fidem*, quam promiſerunt *dogmatibus*; nec *reverentiam*, quam promiſerunt *factis*, ullâ reſtrictione limitârunt.

" Sed

" Sed *plenam* & *totalem*, *perfectam* ac *integram* fuiſſe quatuor Epiſcopo-
„rum *obedientiam*, Clemens IX. fatetur: Atqui talis non fuiſſet, ſi dogmati
„ ſoli fidem, factis non niſi reverentiam prætitiſſent Epiſcopi: Ergò &c."
Vide *Defenſ. form p.* 21.

℞. *Plena*, *totalis*, *perfecta ac integra* eſt obedientia, quæ juxtà mandati ac mandantium, quibus obeditur, ſenſum præſtatur: Hunc autem eſſe ſenſum Conſtitutionum Apoſtolicarum, quæ dogmata ſimul & facta decidunt, ut non niſi fides dogmati, & reverentia factis præſtetur; atque hoc ſenſu Conſtitutiones Alexandri VII. interpretatum eſſe Clementem IX. ex Actis ſupra allegatis manifeſtum eſt.

Verùm fatentur ipſi in ſua ad Pontificem epiſtola quatuor Epiſcopi,
" *Arduum ſibi ac difficilè fuiſſe*, obſervantiam exhibere integram, ſubſcriptio-
„ nem *ſine exceptione*, *& ſine reſtrictione qualicumque*: Atqui *arduum* non fuiſ-
„ ſet exhibere *fidem dogmati*, & *facto reverentiam*: Ergò aliter ſe Formulæ
„ ſubſcripſiſſe Epiſcopi quatuor fatentur." Vide *Defenſ. form. p.* 22. 23. *&* 24.

℞. Non dicunt in ſuâ ad Pontificem epiſtolâ quatuor Epiſcopi, *arduum ſibi ac perdifficile fuiſſe, obſervantiam exhibere integram, ſubſcriptionem ſine exceptione, & ſine reſtrictione qualicumque*, ut fingit *Formulæ Defenſor*: ſed *arduum ſibi ac perdifficile fuiſſe, diſciplinæ ſuæ*, quam in ſubſcribendo tenuerant, *formam* mutare; eo quod ignari non eſſent, *quot malevolorum voculas excire poſſet hæc diſciplinæ mutatio.* En verba ipſorum: *Cùm in exequenda Deceſſoris veſtri de ſubſcribenda fidei Formula Conſtitutione, multi Gallicani Epiſcopi, nobiſcum licet ſenſibus conjunctiſſimi*, EAM DISCIPLINÆ FORMAM *amplexi ſint, quam* SANCTITATI VESTRÆ *acceptiorem fuiſſe intelleximus; Nos, quibus nihil eſt antiquius quàm paci unitatique conſulere, & noſtram erga Sedem Apoſtolicam reverentiam teſtificari, non piguit eorum inſtitutum imitari. Quamobrem congregatâ, ſicut illi, Diæceſanâ Synodo, quæ ſuis illi Clericis tradiderunt, noſtris tradidimus; quod in Apoſtolicas conſtitutiones obſequium injunxerunt, injunximus; prorſuſque nos ipſis*, UT PRIDEM DOCTRINA, ITA NUNC IN HAC DISCIPLINÆ FORMA *conjunximus. Arduum id nobis*, BEATISSIME PATER, *ac perdifficile fuiſſe non diffitemur, non ignaris quot malevolorum voculas excire poſſet* HÆC DISCIPLINÆ MUTATIO &c.

Quis hinc non videat, id ſolum ipſis *arduum ac perdifficile* accidiſſe, quod ſuam in ſubſcribendo diſciplinam mutare deberent?

Fatentur primum *multos Gallicanos Epiſcopos, licet ſenſibus ſibi conjunctiſſimos*, aliam *diſciplinæ formam amplexos eſſe*, eamque *ſuæ Sanctitati acceptiorem*, quàm ipſi amplexi fuerant. Atque hoc ipſum eſt, quòd de illis ad Summum Pontificem ſcripſerant Epiſcopi novemdecim: *Non defuiſſe nec paucos nec poſtremi nominis Epiſcopos, qui idem prorſus quod illi præſtiterant, vel publicis mandatis*,

datis, tametſi non prælo excuſis; vel quod non minus ponderis habet, in publicis Actis ſive tabulis &c. Deinde dicunt ſe illis, *ut pridem doctrinâ, ita nunc in hac diſciplinæ formâ* conjunctos eſſe.

Denique eam diſciplinæ mutationem *arduam ſibi ac perdifficilem* fuiſſe; utique *non ignaris, quot malevolorum voculas excire poſſet hæc diſciplinæ mutatio.*

Non potuiſſent clariùs ſignificare quatuor Epiſcopi, ſe in *diſtinctione juris & Facti* perſiſtere; & diſciplinam tantum in ſubſcribendo mutare.

Supereſt effugium ultimum: " Clementem IX. metu gravioris incom-„ modi, ſeu ſchiſmatis in aliquorum Hæreſi diſſimulaſſe, & impetraſſe ab „ Epiſcopis quatuor, quod potuit: Non eos præſtitiſſe, quod debuére."

R. Ergò mendax fuit Clemens IX. non ſemel; cum ad ipſos Epiſcopos quatuor ſcripſit 1. *veram & totalem* eſſe ipſorum obedientiam.

2. Cum ſcripſit ad Antiſtites pacis Mediatores, eſſe *perfectam ac integram.*

3. Cum ſcripſit ad Regem Chriſtianiſſimum, Sanctitati ſuæ ab illis *plenè factum eſſe ſatis quoad ſubſcriptionem Formulæ.*

Hæc enim omnia falſa eſſe oportet; ſi pluſquam *Fides Dogmati, & Reverentia Factis* præſtanda ſit.

CAPUT V.

An neceſſitas, vel utilitas exigat, proponi Formulam aliquam in Belgio.

QUæ neceſſitas, vel utilitas impulerit aliquando Summum Pontificem Alexandrum VII. & Regem Chriſtianiſſimum, ut *Formulæ* ſubſcriptionem in Galliâ exigerent, non inquirimus: Iſtud aſſerimus, nihil hodie cauſæ eſſe, cur *Formula* aliqua in Belgio proponatur.

Mala horrenda, quæ indè timenda forent, recenſuit *Supplicatio* §. 17. neque ea hic repetenda cenſemus.

Quàm neque neceſſarium, neque utile illud foret ad probandam quorumdam ergà Summos Pontifices, & Epiſcopos reverentiam, ac obedientiam; oſtenſum eſt ibidem §. 18.

Quàm verò non valeat ad Hæreſim aliquam detegendam, ſed potiùs ad Hæreſim faciendam; quàm denique inutile ſit ad turbas ſedandas, & quàm ad turbas excitandas accommodatum: Videre licet §. 19 & 20. ibidem.

Et hæc quidem omnia fateri debent vel ipſi *Supplicationis* Adverſarii; ſi certum non eſſe *Factum Janſenii*, ſed controverſum & contentioſum nobiſcum velint agnoſcere.

At

At quoniam ipſi illud certum prædicant, & fide quidem divinâ tenendum : putant, non ſolùm mala iſta timenda non eſſe, ſed & neceſſitatem eſſe non levem, ob quam ſubſcriptio formulæ in Belgio exigatur.

Nos Primùm nihil cauſæ eſſe, cur exigatur, oſtendemus : Deindè neceſſitatem, quam fingunt alii, examinabimus.

§. I.

Oſtenditur nil cauſæ eſſe, cur in Belgio alicujus Formulæ *ſubſcriptio vel profeſſio exigatur.*

SI quæ cauſa foret, ob quam alicujus *Formulæ* ſubſcriptio vel profeſſio circa Propoſitiones quinque exigenda foret in Belgio : non alia ſanè foret, quam erroris alicujus vel Hæreſis, niſi exigatur, periculum. At Hæreſim vel errorem circa quinque Propoſitiones in Belgio timendum non eſſe ; manifeſtum eſt omnibus, qui in Belgio & rebus, quæ illic aguntur, Hoſpites non ſunt.

1. Nemo eſt in Belgio toto (quod ſcimus) qui Propoſitiones quinque non condemnet.

2. Nemo, qui non condemnet ſinceritate omni, abſque exceptione, vel reſtrictione qualicumque.

3. Nemo, qui non condemnet in omnibus ſenſibus, quos Eccleſia condemnavit.

4. Nemo, qui non condemnet vel in ſenſu Ianſenii, ſi ſenſus ab Eccleſia condemnatus, Ianſenii ſenſus ſit.

5. Si parum ſit, omnem errorem & hæreſim condemnare generatim; deſignent vel ipſi, qui nos ſuſpectos habent, ſpeciatim errorem aliquem: & ſpondeo, paratiſſimos nos invenient, qui illum comdemnemus.

6. Quin & in ipſo Ianſenii libro oſtendant ſenſum quinque Propoſitionum Hæreticum : ſinè mora illum ut Hæreticum ejurabimus.

7. Quod ſi non ſufficiat hæreſim omnem & errorem circa Propoſitiones quinque condemnare, niſi & noſtram circa illas doctrinam profiteamur: apertè edicimus, ſolam nos doctrinam *de Gratia per ſe efficaci & prædeſtinatione gratuitâ*, quam certò ſcimus damnatam non eſſe, hic tueri.

Poſt hæc, quod, quæſo, in Belgio ſupereſſe poteſt Hæreſios, vel erroris circà quinque Propoſitiones periculum? Nam quod ſupereſſe poſſit, ubi nulla Hæreſis, nullus error excipitur; ſed omnis Hæreſis & error condemnatur? Si non fallit Dialectica, non fallimur: " Omnem errorem & ,, Hæreſim circà Propoſitiones quinque condemnamus: Ergò nullum erro- ,, rem vel Hæreſim circà quinque Propoſitiones tenemus. "

L Porro

Porrò ſi nullum erroris, vel Hæreſios circà quinque Propoſitiones in Belgio ſit periculum : Nulla etiam cauſa eſt, cur in Belgio *Formulæ* alicujus circà quinque Propoſitiones ſubſcriptio, vel profeſſio exigatur.

§. II.

Quam neceſſitatem allegent Supplicationis *Adverſarii, ob quam in Belgio* Formulæ *alicujus ſubſcriptio , vel profeſſio exigenda ſit.*

EO redacti ſunt *Supplicationis* Adverſarii, ut tandem apertè profiteantur, aliam in Belgio circà quinque Propoſitiones Hæreſim non eſſe , quàm quod illic non credatur ab omnibus, Hæreticum quinque Propoſitionum ſenſum in Ianſenio contineri.

Hâc accuſatione plenus eſt *Defenſor Formulæ*; plenus *Inſtitutor Theologico-polemicus*; plenus *Nicoſtratus contendens* cum *Philadelpho*; plenus *Iacobus de Monbron*; Aliique, qui ſe *Supplicationi* oppoſuêre. Atque hanc cauſam eſſe ajunt, cur in Belgio *Formulæ Alexandrinæ* ſubſcriptio ad ſenſum *Formulæ* Archi-epiſcopi Mechlinienſis exigenda ſit.

" Veſtrum eſt, ait ad Illuſtriſſimos Belgii Antiſtites *Defenſor Formulæ* ,, in *Concluſione*, eſt & Catholicorum omnium Belgarum de Iuramenti hu- ,, jus.... non utilitate modo, ſed neceſſitate ſummâ, tum ſæculares Princi- ,, pes, tum Apoſtolicam Sedem informare." Cur? Ad ſiſtendum tandem ,, aliquando Ianſeniſmi progreſſum." Quid verò apud illum ſit Ianſeniſmus, declarant ſequentia.

" Si, inquit, dum negotium Formularis cum annexis explicationibus ,, Romam ad Pontificem delatum eſt, judicetur ſuperſedendum intereà eſſe ,, juramenti poſtulatione .... ſapientiſſimorum Antiſtitum erit diſpicere, ,, quâ ratione cavere poſſint nè ſacrilegâ ordinatione & promotione impiâ ,, ſe commaculent, vel Hæreticos vel prudenter de Hæreſi ſuſpectos con- ,, ſecrando, conſtituendo tales Sacramentorum Adminiſtros & Duces ani- ,, marum." Ipſe hoc conſilium ſuggerit, ut inter quæſtiones, quibus Hæretici vel de Hæreſi ſuſpecti ab aliis diſcernantur, hæc proponatur tamquam magis neceſſaria: *An agnoſcant quinque Propoſitiones hæreticas damnatas ab Innocentio X. & Alexandro VII. eſſe in Libro, cui Titulus, Auguſtinus Cornelii Ianſenii, & eſſe Hæreticas illo ſenſu, quo in prædicto Libro defenduntur?*

"Hanc ingenuam profeſſionem, omnis expertem juramenti, detrectantibus ,, non ſine manifeſto ſacrilegio conferri poſſe S. Ordines, & curam Anima- ,, rum committi, affirmat. ,,

Monet autem in Belgio magis, quam alibi, eam profeſſionem exigendam: "Quod

"Quod non in Hiſpania, non in Luſitania, ſed in Belgio tot quotidiè libelli „ prodeant Janſeniſmum apertè profitentes &c. „ Non eſt quod hiſce refutandis immoremur: Ab omni prorſus hæreſeos ſuſpicione liberi erimus apud Innocentium XII. Si circa librum Janſenii id profiteamur, quod, dum apud Clementem IX. profeſſi ſunt Epiſcopi Galliæ, omni ſe hæreſeos ſuſpicione liberârunt.

Itaque palam declaramus: *Quod ad attributionem ſpectat, quâ propoſitiones illæ adſcribuntur libro Janſenii, Epiſcopi Iprenſis; præſtare nos S. Sedi omnem reverentiam & obedientiam, qualis ipſi, dum libros proſcribit, exhiberi debet juxta Theologorum omnium conſenſum, juxtà doctrinam omnium retro ſæculorum Catholicam, imo & noviſſimis temporibus aſſertam ab Acerrimis Authoritatis S. Sedis Defenſoribus, quales fuêre Cardinales Baronius, Bellarminus, Richelius, Pallavicinus, & Patres Petavius & Sirmundus* &c.

Vel brevius: *Præſtamus facto reverentiam*; quo ſcimus ab Epiſcopis Galliæ Clementi IX. ſatisfactum fuiſſe. Si quis defideret exemplum recentius; hoc accipiat ſub Innocentio XI.

Quidam Canonicus Eccleſiæ Metropolitanæ S. Rumoldi Mechliniæ, ubi fortè inter prandium ſermo incidiſſet de Janſenio, cum alio ejuſdem Capituli Canonico, in rebus Theologicis & libro Janſenii non ſatis fortaſſè verſato, certaverat, *eum intra hebdomadas ſex non oſtenſurum propoſitiones quinque famoſas in libro Janſenii*. Hic cum deberet propoſitiones quærere, quas ſe oſtenſurum incautè ſpoponderat; Conſilium init quo evaderet. Suadetur, ut Romæ accuſet eum, cum quo certamen inierat; declaretque eum aſſeruiſſe: *Propoſitiones quinque famoſas in libro Janſenii non contineri*. Placuit Conſilium homini anxio quid ageret. Declaratio Romam mittitur. Poſt hebdomadas aliquot detecta eſt Machinatio. Is, qui accuſabatur, adit ſingulos qui prandio interfuerant; rogat, quid dixerit? Nemo id eum, de quo accuſabatur, dixiſſe meminerat. Hoc omnes teſtantur legitimè. Intereà audit, graviter adverſus ſe commotum eſſe Illuſtriſſimum Tanarium Suæ Sanctitatis tunc Bruxellis Internuncium: ad illum proficiſcitur, rem ſuam expoſiturus; ſed non niſi minas retulit. Urgebat ut ſignaret cum juramento formulare Alexandri VII. Renuit Canonicus conſtanter, hanc inter cætera rationem allegans, *Quod ad quamlibet calumniam & accuſationem ſimilem, ſimiles à quibusvis exigi poſſent declarationes; ſic paulatim adigendos nos ad formulare Gallicanum, ejuſque ſubſcriptionem*. Hæc ipſo dictante ſcripſit & in urbem miſit Internuntius. Scripſit & in urbem Canonicus, totamque rei ſeriem Illuſtriſſimo Favoriti expoſuit: & quoniam dixerat D. Internuntius, cupere Sanctitatem ſuam ex declaratione ipſius, quid de Janſenio ejuſque doctrinis ſentiret, luculentius informari, hanc profeſſionem litteris ſuis inſeruit: *Juramento affirmare paratus ſum, me propoſitiones quinque ab Apoſtolica Sede damnatas damnare, ſimiliter & Anathematizare; &*

tamquam

tanquam obedientiſſimum Eccleſiæ filium venerari, & religioſè quoad vixero venerаturum Bullas Summorum Pontificum Innocentii X. & Alexandri VII. Non multò poſt binas litteras humanitate plenas ad Canonicum ſcripſit Illuſtriſſimus Favoriti, quibus eum *ab omni culpæ ſuſpicione vindicatum eſſe in negotio quinque propoſitionum* ſignificat. Litteræ ei traditæ ſunt per D. Internuntium, qui non tantum inpoſterum vexare illum deſtiti, verum ſemper excepit per-benignè, pluribuſque eum deinceps Epiſtolis obſequio plenis dignatus eſt.

Sic Innocentius XI.exemplum ClementisIX.ſecutus, *ab omni*, non tantum hæreſeos, ſed & *culpæ ſuſpicione in negotio quinque propoſitionum vindicabat illos*, qui propoſitiones quinque damnabant, & Bullas ſummorum Pontificum Innocentii X. & Alexandri VII. religioſè venerabantur. Et quidni idem nobis ſperare liceat ab Innocentio XII?

Chara ſemper & minime apud ſummos Pontifices ſuſpecta fuit Academia Lovanienſis: & tamen non aliud umquam à ſuis alumnis in negotio quinque propoſitionum juramentum exegit, quam in hæc verba: *Jurabis te quinque Articulos per Conſtitutiones ſummorum Pontificum Innocentii X. & Alexandri VII. damnatos damnare, iiſdemque Conſtitutionibus Religioſam obſervantiam præſtare.* Quo ſi hactenus ſe ab omni hæreſeos ſuſpicione apud tot ſummos Pontifices in cauſa Janſenii liberam eſſe oſtendit: non minorem ſanè fiduciam habet apud Innocentium XII. quem nihil in Belgio circa negotium formularis innovari velle jam pridem intellexit.

CONCLUSIO.

AD Vos convertimur, *Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Antiſtites*; penes quos eſt, omni nos metu liberare. Exiguum eſt quod ſupplicamus: Nova ut in Belgio formulæ alicujus profeſſio non exigatur. Summi Pontificis Clementis IX. Aliorumque, qui poſt ipſum fuëre, Pontificum exemplum æmulamini. Erant illi adverſus Hæreſes zeloſiſſimi: ſed nullam in negotio quinque propoſitionum hæreſim timebant, ubi quinque propoſitionibus ſincerè condemnatis, Religioſa Conſtitutionibus Summorum Pontificum Innocentii X. & Alexandri VII. obſervantia præſtabatur. Scimus quidem aliter perſuaſum Vobis ab iis, qui Nos & *ſupplicationem* noſtram priorem tot conviciis & dicteriis lacerarunt: ſed vel hoc ipſum argumento eſt rationes defuiſſe, quod ad iſta impotentûm Muliercularum tela confugerint. Calumniarum & conviciorum ſpecimen aliquod initio exhibuimus, undè Veſtros, Viri Illuſtriſſimi, Defenſores cognoſceretis: ſed in decurſu diſſimulavimus omnia, nè ad ſingula prope hæreret refutandis calumniis impedita *ſupplicatio.* Hoc curæ fuit, ut nihil rationum, ſi quas adferunt, prætermitteremus. Singulorum ſententias & periodos ſingulas refutare, opus erat immenſum

ſum & minimè neceſſarium: Nam omnes idem ingeminant, & quod verbis pauciſſimis dici poterat, per multas ſæpe paginas veluti in Hæreticos & ſchiſmaticos declamando amplificant. In hoc deſudant omnes ut probent, *fidei eſſe quod hæreſes quinque propoſitionum contineantur libro, cui titulus, Cornelii Janſenii* AUGUSTINUS: Hæreticos proinde eſſe, qui id non credant. Nos omnia ad quinque Capita reduximus.

Ac primùm oſtendimus, quidquid fidei eſt, id olim divinitùs vel in Sacris Litteris vel in Traditione revelatum fuiſſe: Minimè autem ſic revelatum dici poſſe, quod hæreſes quinque propoſitionum ſint in libro Janſenii: proindè id fidei eſſe non poſſe.

Deinde probavimus, quæſtionem *facti* potius, quàm *juris*, dici oportêre, *An Hæreſes iſtæ eo libro contineantur?* Sed quoniam de nomine contendere non libuit, pauliſper eam quæſtionem juris eſſe admiſimus; at juris merè poſitivi & humani, in quo decidendo errare poſſe Eccleſiam Theologi omnes conſentiunt. Atque hinc rursùs concluſimus, eam quæſtionem ad fidem ſpectare non poſſe.

Tum mentem Eminentiſſimorum Virorum, Bellarmini, Baronii, & Pallavicini diſcuſſimus; certiſſimiſque argumentis comprobavimus eos ſentire, quod poſſit Eccleſia in ſenſu alicujus libri definiendo errare: quemadmodum errare potuit Synodus quinta in ſenſu trium Capitulorum, & Synodus ſexta in ſenſu Epiſtolæ Honorii. Simul etiam hic excuſſimus locum Eximii STEIARTII, quem *ſupplicatio* prima citaverat; eumque in rem noſtram adverſus Authorem ſuum rectè à nobis allegatum fuiſſe oſtendimus. Paulo diutius hæſimus in refutandâ DECLARATIONE MENTIS ipſius, in qua loquitur contraria, & negotium formularis, quod facile reddere conatur, miris tenebris & difficultatibus involvit.

Poſt hæc venimus ad ea, quæ Acta ſunt ſub Clemente IX. atque ex illis invictè concluſimus, profitendum non eſſe quod hæreſes quinque ſint in libro cui titulus *Cornelii Janſenii Auguſtinus*: ſufficere juxta mentem Summi illius Pontificis, ſi quis facto illi reverentiam exhibeat: atque in hoc tandem Eccleſiam Gallicanam, pace compoſitâ, conſenſiſſe.

Denique oſtendimus, nihil prorsùs cauſæ eſſe, cur in Belgio *formula* aliqua ſeu juramenti ſeu Profeſſionis circa negotium quinque propoſitionum & libri Janſenii præſcribatur: unanimi illic conſenſu damnari propoſitiones quinque, & religioſam Conſtitutionibus Pontificum Innocentii X. & Alexandri VII. obſervantiam præſtari: ſi plus exigeretur, multorum id malorum originem fore in Belgio. Eſſe quidem hunc conatum & ſcopum eorum, qui pro *formulâ* contrà *ſupplicationem* decertant, ut qui hæreſes quinque in libro Janſenii eſſe non jurant vel ſaltem *agnoſcunt*, tamquam Hæretici & ſchiſmatici ab Ordinibus Sacris atque ab omnibus muniis Eccleſiaſticis repellantur: ſed jam olim

conatus illorum à Romanis Pontificibus eliſos eſſe, & non ſolum apud Clementem IX. ſed etiam apud Innocentium XI. *Ab omni culpa ſuſpicione vindicatos*, qui propoſitionibus quinque ſincerè damnatis religioſam Conſtitutionibus Pontificum obſervantiam præſtabant. Sic hodiedum ab omni ſuſpicione liberam eſſe Academiam Lovanienſem: ſic velle, poſt Prædeceſſores ſuos Pontifices, Summum Pontificem Innocentium XII. qui nihil circa negotium formularis in Belgio innovari præcepit.

Quod ſi hæc omnia, Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Præſules, animos veſtros movere non poſſint, ut à *formulâ*, vel dum formulam exigere non licet, ab examine circà propoſitiones & librum Janſenii ceſſetis: patiemini deinceps ut preces noſtras aliò convertamus, atque illic quæramus patrocinium, undè ſcimus in cauſa pari veniſſe non ſemel auxilium. Si quibus interim videbimur, debitam Epiſcopis præſtare nolle obedientiam; iſtud ſecuros reddet, quod poſt *ſupplicationem Alteram* iteratò repulſi aliam viam non invenerimus, quâ perjurii vel mendacii, aut certè profeſſionis vel Agnitionis alicujus minus ſinceræ periculum evaderemus.

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI PRÆSULES

Illuſtriſſimarum ac Reverendisſimarum Gratiarum Veſtrarum,

Humillimi ac obedientiſſimi Famuli

PLURES BELGÆ THEOLOGI.

LEGATORIA
C. DE NARDIS
VIA CRESCENZIO 85
ROMA
TIPOLITOGRAFIA CARTOTECNICA

BIBLIOTECA